





um  
ori-  
pes  
jus,  
pri-  
nte,  
e &  
pri-  
mis  
ialis  
nio-  
cen-  
de-  
atio-  
das-  
nni-  
lari  
ad-  
iem-  
oftri  
i in  
c &  
arma  
que  
de-

DISSE

DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
*1771.1.*

J U D I C E  
SUSPECTO

QUAM *102*  
PRÆSIDE  
DN. JOHANNE FRIDERICO  
E H R L E N

J. U. D. PAND. ET JUR. CAN. PROF. PUBL. ORD.  
ET CAP. THOM. CANON.

PUBLICE TUERI CONABITUR  
*17*  
A U C T O R

FRANC. GEORGIUS DITTERICH  
BAMBERGENSIS  
AA. LL. ET PHILOSOPH. MAGISTER

*Argentorati* DIE V. MARTII MDCCCLXXI.

H. L. Q. C.

---

Typis JOH. HENR. HEITZII Univ. Typ.

D E O  
ET  
A M I C I S.



Q. D. B. V.

Si quid inter homines controversiae oriatur, quod terminari amica compositio ne nequit, in statu naturali Marte arbitro, in civili per personam a Principe potestate hac donatam deciditur. Qui itaque innocentiam tuendo & coērcendo iniuritatem lites dirimit, otium reddit mortalibus felicitatemque, *Judex* vocatur. Hic vero ut rite hunc finem consequatur, legitima scientia, fide & integritate conspicuus sit oporet; quæ quidem dotes natura & Legibus adeo inculcatæ si in Judice deficiant, officium hoc ruinam civibus parit,

A 2

&, cum tamen firmum afflictis deberet esse præsidium, in tectum abit latrocinium. Huic malo ut iretur obviam, a Legibus a) providis introducta est recusatio, quæ actus judicialis est, quo quis declinat notionem Judicis ob sinistram de illo suspicionem. Hoc declinanda injustitiæ remedium in naturali æquitate & legibus fundatum est, cum ipsa ratio dictaret, quod suspecti & inimici judices esse non debeant b), & periculorum omnino sit, coram suspecto judice postulare c). Comprobat illud usus multorum retro seculorum. Antiquissimis enim temporibus judices apud Romanos aut ferebantur a partibus d), aut constituebantur sorte e), aut a Magistratu dabantur f). Liberrimam autem fuisse libera republica omnes hos judices recusandi facultatem, inde satis patet, quod TULLIO & QUINTILIANO testibus g) non esse potuerit in causa aliqua judex, nisi qui inter adversarios convenisset.

Imminuta postmodum sub Imperatoribus Romani populi libertate & hæc pariter recusandi Judices libertas multum restricta est. Sub TRAJANO quidem in publicis

a) L. 16. C. de Sentent. §<sup>o</sup> Interloc. L. un. C. Ne licet in un. ead. Cauf. Nov. 53. Cap. 3. & Nov. 96. C. 2. adde Tit. X. de Appellat. & Recusat.

b) Cap. 41. in f. X. de Appellat.

c) C. 5. X. de Except. & L. 16. C. de Judicis.

d) CICERO de Oratore L. II. Cap. 65. & 70. & pro Rosc. Comœdi Cap. 15.

e) DIO CASSIUS L. LIV. scribit: τοῖς δὲ δικαζέσσιν αἰτεῖται εἰς μηδὲν δικῆς τοῦ ἐμπειρίου εἰσεῖν εἰσιτεῖν.

f) VALERIUS PROBUS in Not. Jur. antiqu. ubi formula occurrit his literis: P. J. A. V. P. U. D. id est: Prætor judicem arbitrum ve postulo, uti des.

g) In Orat. pro Cluentio, Cap. 43. pro Rosc. Comœdi. C. 15, in Verrem, L. III, Cap. II, §§. 60. . . . Declamat. 342,

( 5 )

plane causis illa adhuc viguit *b*); at sub HADRIANO, ut CALLISTRATUS author est *i*), insignitem subiit mutationem; cumque sub VALENTINIANO penitus sublatam AMMIANUS MARCELLINUS queritur *k*). Eo enim tempore cum ad Principis nutum gererentur omnia, judices ipsos & judicium potestatem non amplius, ut olim, *voluntas partium*, sed *Imperatorum summa potestas* constituit *l*).

Restituta vero fuit sub JUSTINIANO Imperatore recu-fandi judicem facultas: Hic quippe in id præcipue inten-tus, ut litigantium animos timore omni ac sollicitudine liberaret, non solum imposta judicibus *m*), advocatis *n*) & ipsis litigatoribus *o*) jurisjurandi religione omnem præ-vertere injustitiam studuit, sed etiam per confirmatum & in judiciis introductum *recusationis* remedium civium litigantium securitati prospexit *p*). Omnia vero haec tenus dicta ad judices tantum pedaneos atque delegatos per-

A 3

*b*) PLIN. in Paneg. cap. 36. Sors  $\mathcal{E}$  urna, scribit, *Fisco judicem assignat: licet rejicare, licet exclamare: hunc nolo, timidus est,  $\mathcal{E}$  bona feculi parum intelligit; illum volo, quia Cesarem fortiter amat.*

*i*) L. 43. *D. de Judic.*

*k*) Lib. XXVII. Cap. 7. ita scribit: *Ad hanc inclemantiam illud quo-que accedebat diu dirum  $\mathcal{E}$  factu, quod si quis eum, VALEN-TINIANUM, adiisset, judicium potenter inimici declinans, altum-que fibi postulans dari, hoc non impetrato, ad eundem quem me-tuebat, licet multa pretendenter iusta, remittebatur.*

*l*) Argumentum de modo constituendi ac recusandi judices apud Ro-manos veteres egregie pro more exponunt Jcti elegantissimi NOONTIUS in Tract. de Jurisd.  $\mathcal{E}$  Imper. atque SCHULTINGIUS in Diff. de Recusat. Judic.

*m*) L. 14. *C. de Judic.* L. 2. *C. de jurejur. propt. calunn. dandi,*

*n*) d. L. 14. §. 1. *C. de Judic.*

*o*) L. 2. *C. de jurej. propt. calunn. dandi,*

*p*) L. 16. *C. de Judic.*  $\mathcal{E}$  LL. supra lit. a, cit.

tinere, Jureque Romano Magistratus propriis sic dictos  
recusari non potuisse, mox uberior offendendum erit.

Ab illo tempore judicum recusatio perpetuo usu  
fuit conservata, inque tribunalibus hodie datum recepta est,  
atque, ut infra videbimus, ad Magistratus judicesque  
omnis generis extensa. Olim illam actori <sup>q)</sup> pariter ac  
reο <sup>r)</sup> competitio certum est, & licet in regula rei par-  
tes in judicio sint favorabiliores <sup>s)</sup>, monumenta tamen  
non desunt <sup>t)</sup>, quæ illam plane magis actori, quam reο  
interdum concessam fuisse arguunt. Jure Canonico fal-  
tem usque nostro forensi partibus litigantibus absque  
ullo discrimine, etiam ipsis excommunicatis <sup>v)</sup>, frustra  
dissentiente MEVIO <sup>x)</sup>, recusationis remedium indulgetur.

De materia *suspecti Judicis* in chartam quædam con-  
jicere mecum constitui, ut aliquod, quos in Jure feci,  
profectum specimen ederem publicum. Non itaque  
hic totam de recusatione judicis causam pro rei dignitate  
exponere mihi in animum induxi, eo quod celeberrimi-  
mus JCTUS not. <sup>l.)</sup> memoratus SCHULTINGIUS illam ita  
peroravit, ut ejus dictis a tenui tironis non satis exerci-  
tati calamo vix aliquid accedere possit incrementi. Hinc  
intra limites suspecti judicis maxime substitutus sum, eo-  
que allaboratus, ut, quæ cel. Auctor de prisca Roma-  
norum Jurisprudentia circa hanc causam præcepta propi-  
navit, inspersis hinc inde Juris Canonici placitis, si fieri

<sup>q)</sup> CICERO in *Verr.* L. I. Cap. 7. & L. III. Cap. 11. 13. 41. 59. 60.

<sup>r)</sup> Lex Servilia repetundarum lata a C. SERVILIO GLAUCIA apud  
SIGONIUM de *Judic.* L. II. C. 27.

<sup>s)</sup> L. 125. D. de R. J.

<sup>t)</sup> CICERO Orat. pro Sulla Cap. ult. & PAULUS MANUTIUS ad  
hunc locum.

<sup>v)</sup> Cap. 5. X. de *Except.*

<sup>x)</sup> P. 6. Decis. 71. n. 4.

poterit, ad usum in nostris foris receptum proprius applicentur.

In tribus autem deducendis potissimum versabor,  
nimirum I. *Quis Judex ut suspectus recusari possit?* II.  
*Quenam sint fundatae in Jure suspicionis causa?* & III.  
*Quo demum modo suspecti Judicis recusatio instituenda sit?*

## I.

*Quis judex ut suspectus recusari possit?*

§. I.

*An judges singuli?*

Pedaneos Romanorum judices & s<sup>e</sup>pe & facile recusatos fuisse, velut in transitu jam notavimus. Non eadem erat Romano populo Consules, Pr<sup>t</sup>ores aliosque Magistratus recusandi facultas. Evidem hi ordinarie judicem dare solebant a), sed quandoque tamen judicium exercebant ipsi b), e. gr. dum in judicio publico quærebatur ex lege, aut judicantibus Decemviris vel Centumviris, teste PLINIO c), præsidebant. Illos vero hisce in casibus unquam recusatos fuisse, nec liberi, nec jam subjecti Imperatoribus Romani populi historia prodit. Novi quidem, adduci passim pro Magistratum recusatione ex CICERONE & ASCONIO PEDIANO d) exemplum

a) CICERO ad Quaint. fratrem L. I. Epist. 2. SUETONIUS in Claudio Cap. 15. JULIANUS L. 8. D. de Offic. Praefid. CALLISTRATUS L. 9. D. eod. tit.

b) CICERO pro Archia Poeta Cap. 2. & in fin.

c) Epistolarum L. V. Epist. ult.

d) In Oration, CICERONIS.

Antonii Marcum Lucullum Prætorem, ad quem a Græcis eductus fuerat, ut ajunt, recusantis; qui vero rem penitus inspexerit, qui a Prætore, quod Græci postulaverant, jam *decreatum*, adeoque sententiam latam fuisse, cogitaverit, nihil inde pro recusatione Magistratum evinci posse facile videbit, cum Antonius illud tantum, quod Græci postulabant, judicium declinaverit, & non tam Prætorem recusaverit, quam a lata secundum Græcos sententia per modum appellationis ad Tribunos plebis provocaverit.

Præter hoc unicum exemplum, quod vero hoc non quadrare vidimus, Annales rerum Romanarum nullum commemorant. Adeo nimurum verum est, Jure antiquo recusatorum Magistratum nulla extare vestigia. Alia iis temporibus contra Magistratum iniquitatem remedia suppeterebant: non enim appellatos tantum fuisse adversus omnem potestatem Tribunos plebis e), sed & Magistratus contra Magistratus inferiores f) & pares g) ab opressis invocatos fuisse constat. Verum id in Urbe, non in Provinciis erat afflictis præsidii, cum Magistratus iis præpositi non durante Magistratu h), sed illo demum de- posito potuerint conveniri.

Neque Jure novo circa hoc quidquam immutavit JU  
STINIANUS

e) ASCONIUS in Ciceron. L. XI, in *Verr.* Cap. 12.

f) CN. ORESTÆ Prætoris Urb. Decretum sustulit Consul EMILIES MAMERCUS; ita VALERIUS MAXIMUS Lib. VII. Cap. 7.

g) L. PISO Prætor VERRI Prætori intercessit, test. CICER. in *Verr.* L. I. C 46. Adde LIVIUM L. II. Cap. 17. CICERON. de Leg. L. III. Cap. 3.

h) L. 2. D. de in *Ius voc.* L. 48. D. de *Judic.* L. 32. D. de *In-  
jur.* L. 12. pr. D. de *Accusat.* Item Fragmentum Legis Serviliae  
in hanc rem addicgit JAC. GOTHOFREDUS ad L. 6. C. Th. ad Leg.  
*Jul. repetund.* CICERO in *Verr.* L. II. Cap. 12.

STINIANUS *i*) ; sed potius *recusationem* ad judices datos vel delegatos diserte restrinxit *k*). Alia tamen ratione Magistratum in Urbe iniquitati ire obviam conatus est, cum iis vel ad partium preces, vel ex Principis potestate *cōvolumq; m* quandoque addendum esse decrevit *l*). Ar- cendis vero provincialium judicium corruptelis atque in- juriis Leges *m*) quoque abunde prospexerunt. Accedit, quod Provinciarum suspectis Præsidibus adjungi posse Episcopum Imperator constituerit *n*), eoquod Præsidum integratit ipsique iustitiæ per Magistratum Assessores, utpote ab ipsis adscitos *o*), & pro eorum Iubitu remo- vendos *p*) non satis prospectum arbitrabatur. Quæ Epi- scopi adjunctio conservandæ iustitiæ remedium videbatur tam firmum & congruum, ut ab aliis quoque extra Im- perii Romani fines populis fuerit adoptatum *q*). Placuit quoque simile remedium contra minores in Municipiis Magistratus (defensores civitatum *r*) : recusari enim hi cum non potuerint, utpote jurisdictionem habentes, &

B

*i*) L. 32. §. ult. *C. de Appellat.*

*k*) L. 16. *C. de Judic.*

*l*) Nov. 13. Cap. 2. & Nov. 53. Cap. 3.

*m*) L. 3. *D. de Offic. Affeff. L. 10. C. de Affeff. domeſt. & Cancell.*  
L. un. *C. de Contract. Judic.* L. 6. *C. Tb. de Offic. Reſtor. Provinc.*  
L. ult. *C. ad Leg. Jul. repet.* Nov. 8. Adde L. un. *C. Ut omn.*  
*Jud. tam civ. quam criminis.*

*n*) Nov. 86. Cap. 2.

*o*) L. 1. *C. Tb. de Affeff. domeſt. & Cancell.* Nov. 8. Cap. 8. & in fin.

*p*) Nov. 17. Cap. 5. §. 2.

*q*) *Legibus Visigothorum* L. II. Tit. 1. Leg. 23.

*r*) Nov. 86. Cap. 7.

Provinciæ Præsidem repræsentantes <sup>s)</sup>, iis tamen missis, ad Episcopale judicium res devolvi potuit, id quod jam a Constantino M. <sup>t)</sup> introductum est, & postea recentioribus Legibus <sup>u)</sup> repetitum fuit, quamvis id ipsum per modum compromissi potius, quam recusationis processisse videatur.

Hæc quidem apud Romanos olim circa hanc causam fuerunt constituta. At vero cum ad statum publicum gentium sequioris ævi applicari haud facile potuerint, multa hac in re deinde, precipue per Juris Canonici placita, immutata fuere. Judex hoc Jure qualiscunque <sup>x)</sup> non delegatus solum <sup>y)</sup>, sed & ordinarius, ut Consules sunt civitatis <sup>z)</sup>, recusari potest, solo *Executori excepto aa)*. Quæ enim introductæ recusationis ratio est, ne scilicet, quæ sancta & inviolata deberet esse justitia, a judice pravis animi commotionibus abrepto violetur, litigantesque inde lèdantur, adeo universalis est, ut iudices sine discrimine omnes, non tamen meros executores tangat, quibus quippe nulla cognitio, sed sola executio <sup>bb)</sup> demandatur. Atque inde factum est, ut in recusationis materia Jus Canonicum, utpote nostris moribus magis accommodatum, usu forensi penitus recipetur, adeo, ut hodie omnes judices & Magistratus, cujuscunq; ordinis sint vel dignitatis, justa ex causa recu-

<sup>s)</sup> Nov. 15. pr. & Cap. 2. & 3. §. 1.

<sup>t)</sup> SOZOMENUS *Hist. Eccl.* L. I. Cap. 9.

<sup>u)</sup> L. 7. & 8. C. de Episc. Aud.

<sup>x)</sup> C. 61. X. de Appellat.

<sup>y)</sup> C. 41. X. eod. tit.

<sup>z)</sup> C. 10. X. de For. Compet.

<sup>aa)</sup> C. 43. X. de Appellat.

<sup>bb)</sup> C. 28. verf. *Quia vero X. de Offic. & Potest. Jud. deleg.*

fari possint. Quæ regula proinde ordinarie non tantum ratione *inferioris*, sed & *superioris* judicis procedit: licet circa hunc haud pauci rem vehementer in dubium vocent; quam controversiam vero commodius sequenti §. Composituri sumus.

## §. II.

### *An integra Magistratum & judicum Collegia?*

Collegium judicum, quod & Dicasterium audit, corpus quoddam est ex variis personis auctoritate Principes constitutum ad cognoscendas decidendasque civium causas. Talia judicum collegia antiquissimæ originis sunt: vidit ea olim Roma, vidit Græcia. CICERO certe a) in Sicilia civitates (aut Senatus civitatum) ex Leges Rupilia datas fuisse judices testatur; & in habendis de exilio judiciis collegium ex XXXXV. electis Viris conflatum fuisse ex PLINIO b) discimus, cui simile de Græcia LIVIUS docet c). Existimabant nimirum veteres, institutis judicum collegiis justitiam fartam teatamque servatumiri, cum tot veluti custodibus, quot collegii membra sunt, defendantur Leges, & difficilius longe multi, quam unus, a via recta deflectere soleant.

Hæc utut vera sint, dolet nihilominus LIVIUS d), decemvirale collegium Romæ prorsus fuisse corruptum;

B 2

a) in Verrem. L. II. Cap. 13.

b) Hist. nat. Lib. XXIX. Cap. 1.

c) L. XXXIII. Cap. 46.

d) L. III. Cap. 36. *Hominum, non causarum, toti erant, ut aquil quos gratia vim aqui haberet; judicia domi confabant, pronuntiabant in foro. Si quis Collegam appellasset, ab eo, ad quem venerat, ita decidebat, ut pateretur, non prioris decreto stetisse.*

limilemque pestem sua infecisse collegia insigni suo malo quondam Carthago sensit e). Licet vero nostro aeo singulari Superum beneficio & Principum insigni prudentia optima passim dignissimaque collegia gerendis rebus præficiantur: eorum tamen membra omnia degenerare adhucdum & justam suspicionem incurrere posse, dubitandum non est. Quod si accidat, num recusationi locus sit? videamus. Integra apud Romanos collegia recusata fuisse, non facile negaverit, qui CICERONIS f), PLINIUS g) aliorumque testimonia perpendit, variasque Leges, uti Corneliam h), Pompejam i), Vatiniam k) huic recusandi libertati terminos modumque posuisse, haud ignorat. Sunt nihilominus, qui, qua nescio, ratione ducti l) negent, collegium integrum recusari posse, ipsumque usum forensem in testimonium vocent. Affirmant id alii m); alii quasi via media ingredientes n) negant quidem, collegium recusari posse, sed excipiunt, nisi eadem omnes suspicione laborent, aut etiam unus magna auctoratis, cui reliqui contradicere nequeunt. In tanto confictu sententiuarum, momenta, quæ utrinque militant, non ex-

e) LIVIUS L. XXXIII. Cap. 46.

f) in Verr. L. II. Cap. 13. pro Plancio Cap. 17.

g) vid. loc. supra cit. not. b.

h) CICERO in Verr. L. II. Cap. 31.

i) ASCONIUS in arg. Orat. pro Milone.

k) CICERO in Vatin. Cap. 11.

l) cf. plures DD. citati apud SCHULTINGIUM l. c. Cap. 17. &amp; apud ZANGERUM de Except. P. II. Cap. 4. n. 15. &amp; sqq.

m) MENOCHIUS de arbitrar. Judic. Quest. L. XI. Cap. 458. PETR. GREG. THOLOSANUS Syntagm. L. XXXIX. C. 3. n. 24.

n) ZANGER. l. c. n. 16. &amp; 17.

cutiam operose, ut brevitatis rationem habeam, sed,  
quid de re sentiam, paucis, clareque exponam.

Evidem, quo minus singula collegii membra, reliquis salva manente judicandi potestate, recusari queant, nihil impedit; & cur totum collegium, si membra ejus omnia gravi suspicione laborent, recusari non possit, plane non video. Lex sane, quæ huic sententiae repugnet, occurrit nulla, quin potius Canones <sup>o)</sup> illi non obscure favent. Nec recusati integri collegii exempla defunt <sup>p;</sup>; quibus, cum æquitas & fana ratio suffragetur, inesse pondus, haud facile quis negaverit. Rarius quidem fit, quod mirandum non est, ut integra collegia recusentur; sed praxis tamen talem recusationem non improbat.

Ea vero quæstio majoribus dubiis videtur esse obnoxia, an nimirum recusatis plerisque collegii membris, reliqua, quibus nihil objicitur, nihilominus de causa cognoscere queant? Affirmantem sententiam amplectitur LEYSERUS <sup>q)</sup> cum suis assēclis; negantem BEYERUS <sup>r)</sup> cumque eo multi alii. Et quidem LEYSERUS eosque delabitur, ut putet, si vel unicum membrum super sit, de cuius integritate non dubitatur, huic causæ cognitio nem relinquendam esse, arg. L. 7. §. 2. D. Quod cujusq. univer. nom. Verum liceat mihi hic a cel. Viri sententia recedere. Evidem non ignoro, ex allegata Lege Interpretes vulgo regulam colligere, *Collegia inchoata sub sistere, etiam si ad unum redigantur*, quia jus semel consti-

B 3

<sup>o)</sup> Can. 15. Cauf. 3. Quæst. 5. adde C. 10. X. de Firo competenti.

<sup>p)</sup> SOCRAT. Hist. Eccl. L. I. cap. 31. & L. VI. Cap. 15. SOZOME NUS Hist. Eccl. L. II. Cap. 25. & L. VIII. Cap. 17.

<sup>q)</sup> Spec. 67. Medit. 7.

<sup>r)</sup> Delineat. Pandect. de Judic. n. 73.

tūtum non solvitur nisi corpore, in quo est, penitus sublato s). Ast arbitror, hanc regulam cum grano salis accipiendam, & ultra terminos habiles, uti ajunt, non esse extendendam, quin imo illam ad causam, quam præ oculis habemus, applicatu difficilem esse. Ea faltem in dicta Lege ad quæstionem decidendam affertur a nostra plane alienam, quippe in qua hanc regulam collegii jūdicum natura, Principumque talia collegia constituerunt animus non fert. Volunt enim hi prudentissimo consilio, ut non uni, sed plurium sapientiæ & integritati bona, fama & vita civium committantur, ut proinde per majora vota lites dirimi possint. Crederem itaque, in hoc rerum statu rem potius ad superiorem devolvi, qui, quid faciendum, decidat, aut forsan, quod CARPOVII t) atque BEYERI u) consilium est, unico huic judicii alium vel plures adjungat, quo faltem aliquod collegii vestigium remaneat. Quodsi vero, licet pleraque membra sint suspecta, tamen sufficiens adhuc pluralitati votorum obtainendæ non suspectorum numerus superstis, illa adhucdum existimo, jure suo causæ cognitionem decisionemque sibi vindicare. Nullum itaque dubium est, quin vel omnibus vel plerisque collegii membris suspectis, (ita ut votorum pluralitas amplius haberi nequeat,) totum recusari queat; neutquam vero, si pauciores, aut unus altere, uti supra notavi, suspicione nota laborent. At non tamen adeo alienus sum ab eorum opinione, qui contendunt, nonnunquam etiam ob unum vel duos, qui tantæ sunt in collegio authoritatis, ut reliqui ipsis non facile contradicturi videantur, totum collegium re-

s) pr. Inst. de Usufructu.

t) in Proc. tit. 3. art. 4. n. 90.

u) l. c. n. 75.

cusari posse; quæ quippe opinio nec a ratione, nec a Juriis analogia abludit.

Supereft, ut, quæ haec tenus dicta fuere, proprius ad nostri fori usum applicentur. Nimurum omnis generis judices, tam ordinarios, quam delegatos, tam superiores, quam inferiores, etiam integra judicum collegia Jure communi recusari posse, hucusque observavimus. Eandem regulam tam in Gallia, quam in Germania receptam esse, prejudiciis, Legibus, & J Ctorum celeberrimorum communis suffragio abunde probari potest. Et quidem de judice inferiore nulla plane controversia movetur <sup>x)</sup>; bene tamen de collegiis judicum superioribus, quæ in ultima, uti vocant, instantia judicant. De his enim multi simpliciter negant, quod recusari possint; alii vero ita dubie mentem suam explicant, ut aqua ipsis hærente videatur. Varias allegant rationes, uti ex. gr. quod judex ordinarius recusari nequeat; quod progressus tribunalium in infinitum fieret; aliasque, quæ vel ex supra sparsis principiis jam corruunt, vel refutatione plane non indigent. Unicus tamen scrupulus hæret, quem excitare potuit pugna quædam, quæ inter duos textus Decretalium intercedere videtur. Nempe in C. 12. X. de Appellat. ALEXANDER III. S. P. dicit, quod quicunque *sine appellatione* *judicat* in causis ecclesiasticis, *etiam recusari nequeat*; LUCIUS III. vero in C. 36. X. eod. afferit, illum, cui *appellatione remota* negotium quoddam sicut delegatum, *in ea causa esse, ut recusari possit*. GLOSSA, CUJACIUS, SCHULTINGIUS aliisque hoc ita conciliare student, ut dicant in C. 12. subintelligendum esse *sine gravi causa*. Verum hæc limitatio difficultatem nequa-

<sup>x)</sup> de GALLIA vid. tit. 24. Ord. Reg. de a. 1667. de GERMANIA cf. GAIL, ZANGER, CARPZOV. aliisque laudati a STRYCKIO in U. M. Pandect. L. V. tit. 1. §. 10.

quam tollit, cum quilibet qui recusatur, saltem ex recusantis opinione *ob justam causam* recusetur, & textus generalis sit, verbaque *non aliquid nus* contineat, quæ omnem limitationem respunt. Alii sibi persuasere, S. Pontificem digitum intendere ad juramentum perhorrescentiae, quippe quod *sine iusta causa* admittatur. Ait, præterquam quod falsum sit, hoc juramentum absque iusta causa procedere, non potuit hoc juramentum in mente habere ALEXANDER III. utpote quod demum a BONIFACIO VIII. uti infra docebitur, introductum fuit. Mihi igitur potius videtur in *cit. Cap. 12.* magis de tempore proponendæ recusationis, quam de ipsa recusatione sermonem esse; quam interpretationem ipse verborum contextus, fana ratio & Juris analogia suadent: nihil enim injuria secum fert judicis recusatio, si decenti illa ratione instituatur.

Neque recedit ab his principiis tam Galliæ quam Germaniæ praxis. In Gallia integra judicum collegia etiam suprema ex gravioribus causis omnino recusari possunt, idquod procedit per *Litteras Evocatorias* a Rege impetratas *y).* Ad Germaniam quod attinet, Principum Dicasteria, quin recusari possint, non ambigitur: *Leges, DD. auctoritas, forique usus id approbant z).* Ait de summis Imperii Tribunalibus major est inter DD. contentio: hæc enim recusari posse tam antiquiores, quam recentiores Processus Germanici Doctores tantum non omnes negarunt *aa).* Multas hujus rei rationes congef-

*y)* cf. tit. I. *Ord. Reg. de a. 1669.* & tit. 24. *alleg. Ord. de a. 1667.*

*z)* cf. *Lica LL. Imp. a Cl. PÜTTERO*, egregio Procesus German. Interpretæ, allegata in *Introd. in Rem Judic. Imp.* §. 159. addit. STRYCK. *I. c. §. 12.*

*aa)* GAIL L. I, Obs. 33. RODING Pand. Camer. L. I. tit. 3. §. 11. LUDOLFF

fit BLUMIUS *bb*), quæ vero displicant DECKHERO *cc*), qui tamen ipse decisionem certam propinare ausus non est. Exempla quidem & cum, & sine successu recusatæ Camerae, recusatique Judicij Aulici commemorant GAILIUS, cl. PÜTTERUS aliisque *dd*); at hodie quidem id difficulter contingere posse, fere unanimi ore DD. testantur. Si ingenue dicendum quod res est, ego cum STRYCKIO *ee*) arbitror, non quidem temere summa Imperii Tribunalia recusari posse; at cur ex probata plane gravique causa non possint, nullo modo perspicio. Saltem generalia præcepta supra ex sanæ rationis jurisque communis principiis allata etiam hic locum suum tuerunt; &, quamvis hæc judicia ipsum Imperatorem & Imperium repræsentent, tamen, qui in iisdem jus dicunt, homines sunt ut alii judices, humanam imbecillitatem non exuerunt, adeoque profecto non minus, ac alii, suspicionis notam incurrire possunt. Ipse etiam Imperator, ceu summus legum Custos & Observator, Capitulatione sua *ff*) fidem suam jurato adstringit, quod in promovenda justitia omnem suam operam studiumque collocare velit *gg*); unde sane non poterit denegare remedia juris ordinaria, in

C

---

LUDOLF *Jur. Camer.* S. I. §. I. n. II. BLUM. *Proc. Cam.* tit. 25.  
§. I. AUCTOR Princ. Process. Jud. Imp. Aul. bod. C. 6. §. 42.  
CL. PÜTTER l. c. HAMM Diff. de Recus. Jud. super. in genere, & in  
specie de illicita Recusatione supremorum S. R. I. Tribunal.

*bb*) l. c.

*cc*) In *Vindic. Jur. Camer.* contra BLUMIUM tit. 25. p. 134.

*dd*) II. *cc*.

*ee*) l. c. §. II.

*ff*) Art. 16. §. 7.

*gg*) dem Procesß seinen starken Lauf zu lassen.

fana ratione fundata, Legibus tam publicis quam privatis, tam peregrinis in sublium receptis, quam domesticis agnita & approbata. De eo vero inter omnes constat, singulas horum tribunalium personas recusare & semper licuisse, & adhucdum licere *hh*). Ubi enim contra unum aut alterum Assessorem idoneæ suspicionis causæ allegantur, jubetur is ab hujus causæ relatione abesse *ii*). Atque prostant in utroque Tribunalis rei hujus exempla; quin imo recentiori tempore ipse Praefes Judicij Aulicij ad Principis cuiusdam instantiam ab Imperatore rus concedere jussus est, ut eodem absente istius Principis causa ventilaretur *kk*).

## II.

*Quænam sint fundatæ in Jure suspicionis  
causæ?*

Judicem, ut PHILo Judæus eum fere depingit *a*), virum esse oportet summa animi rectitudine, firmitate ac prudentia præditum; domesticorum, amicorum, & sui quodammodo oblitum, nemini inimicum, memoremque, *judicium esse DEI*. se vero ministrum & procuratorem ejus, cui non ex suo ingenio animique motu, sed secundum

*hh*) Ord. Cam. de a. 1555. I. 19. §. 5. Ord. Jud. Aul. tit. 1. §. 18.

*ii*) Ord. Jud. Aul. & Ord. Cam. II. cc.

*kk*) cf. AUCTOR Prince. Process. Jud. Aul. l. c. & Cl. FÖTTERUS l. c. §. 712. ubi modum, quo hæc recusatio procedit, ex LL. Imperii processualibus pro more accurate ostendit.

*a*) de Judice pag. 556,

Legum normam, quas custodire in scrinio pectoris sui debet, pronuntiare incumbit. Et ita, ut par est, si judicem consideremus, facili negotio apparebit, duo potissimum esse vitiorum genera, quae recusationi locum faciant, quorum unum judicis *intellectum*, alterum *voluntatem* concernit; sicut duas in judice dotes necessarias esse novimus, *prudentiam* scilicet & *justitiam*. Primum quod concernit, judicis ignorantiam ad recusationem sufficere Doctorum *b)* fundata opinio est, nisi controversiae facti sint non admodum intricati, & talis naturæ, ut vel a mediocriter tinctis illisque decidi possint, quos olim rura in Decurias miserunt *c)*. Neque publica electio aut facta a Principe constitutio evertere imperiti judicis suspicionem, & impedire recusationem potest, cum Princeps introducta a Jure civili judicis impedimenta quidem tollere, quæ autem humano corpori defunt, aut animo, emendare sua constitutione ac resarcire nequaquam possit.

Verum, cum non tam de recusatione, quam de Judice suspecto mihi sermo sit, missis iis, quæ ex capite intellectus ad judicis recusationem sufficiunt, ad ea, quæ voluntatem respiciunt, & unde proprie suspicionis causa petuntur, veniamus. Illa omnia, quæ testem, etiam judicem, & quidem adhuc facilius suspectum reddere *d)*, certum est. Ut vero hac in parte distinctius procedam, non singula, quæ suspectum faciunt judicem, recensere

C 2

*b)* MASCARD de Probat. Conclus. 954. n. 24. RITTERSHUS. ad Novell. P. IX. C. 6. n. 101.

*c)* QUINTIL. Infl. Orat. L. IV. C. 2.

*d)* L. un. C. Tb. *Ne in sua caus. quis jud.* adde CICERON. pro Roſcio Comædo Cap. 15.

opus est; quamvis hac in re mire DD. e), at felici parum successu, desudarint, eoquod ea non in jure finito f), sed in facto hominis, quod utique infinitum est, consistunt; & ut HADRIANUS de testibus loquitur g), cognoscementum arbitrio potius, quam Legibus definienda sunt. Unde consultius videtur esse, cum Jure Canonico h) rem omnem ad quatuor fontes reducere, *Amorem* scilicet, *Odium*, *Cupiditatem* & *Timorem*: quo fere etiam collineat GALLIÆ & GERMANIÆ usus i).

## S. I.

## AMOR.

*Amor benevolentiae*, quem hic respicimus, Philosophis est propensio animi in alterum, cum desiderio illi nos conjungendi, & benevolentia erga ipsum, gaudioque super illius felicitate conjuncta. Hoc sensu acceptus amor aut consanguinitatem, aut beneficia accepta, aut conversationem pro causa vel occasione habet; & amicitiam sub se complectitur. Et hæc quidem animi affectio vehementissima & reliquarum facile princeps id sibi habet proprium, quod fine turbatione animi vix unquam fit, ea, quæ amati sunt, æstimet omnia, quæ illi contraria sunt, aversetur, & studeat removere. Atque hinc prono fluit

e) MAYNARD. LANGHEUS, REUUFFUS, MARANT. Spec. aur. p. VI.  
de secundo Adiu, qui 40. AUFRER Tract. de Recusat, qui 93 *Speciosas causas recensuit.*

f) L. 2. D. de jur. & fact. ignor.

g) L. 3. §. 1. D. de Testib.

h) Can. quatuor. 78. Caus. 11. Quæst. 3.

i) de Causis recusandi in Judicio Aulico & Camerali probatis. vid.  
illorum Ordinationes l. l. supra p. 18. n. 66) citatis. & de GALLIA  
Ord. de a. 1667. tit. 4.

alveo, judicem merito suspectum esse, cuius ob allatas causas aut amor cum verisimilitudine præfumitur, aut signis externis, ut ignis fumo, proditur. Quid enim facilius, quam ut opprimatur innocentia, triumphet iniqitas, ubi cæcus amor sic excœavit judicem, ut non jam causæ momenta, sed amati tantum personam respiciat, & illius commoda intendat? Quam ob rem etiam Romani non pernuserunt, ut judicaret, qui partium litigantium alterutram eo necessitudinis gradu attingeret, quo nimium amoris vinculum præsumi facile potuisset a). Evidem jure hoc magis talia occurunt, quæ judicibus interdicuntur, quam proprie ipsæ recusandi causæ: ast nihil impedit, quo minus exinde pro hodierno rerum statu ipsas recusationis causas derivemus. Dubio itaque caret, istam inter judicem & partes intercedentem necessitudinem recusationi locum facere. Verum de eo in diversas partes abeunt DD. an nempe quoque judex suspectus fiat in causa, ubi filius advocati munere fungitur? affirmant hoc nonnulli b); plerique tamen negant, inter

C 3

a) L. 5. pr. D. de *Injur.* In hac Lege quidem tantum de casu, quo aliquis litigantium judicem propinquitate magis contingit, quam alter, sermo est. Sed Rex Galliarum hoc etiam ad casum, ubi utraque pars litigans pari necessitudinis gradu judicii affecta est, extendit, idque ex iustissimis causis, quas Interpretes Ordinationis Regiae fuisse deducunt. cf. *Ord. Reg. de a. 1667.* tit. 24. art. 3. & *COMMENTATORES* ad *bunc locum.* Porro, cum Jus communie & Germanica Praxis (cf. *Ord. Jud. Aut. & Cam. II. cc.*) quæstionem specialem, ad quemnam usque gradum propinquitatis recusationi judicis locus dandus sit? in medio, judicisque superioris arbitrio relinquunt; eam quoque ad evitandas omnes altercationes Rex Gallie accurate, tam quoad civiles, quam quoad criminales causas, definivit. *Art. I. & 2. tit. 24. dij. Ordin.*

b) MATTHÆI de *Judic.* Cap. 7. §. 10, AUFRER, MAYNARD, SCHULTINGIUS aliisque,

quos maximopere LEYSERUS nominari meretur c), qui ex eo præcipue sententiam suam probare nititur, quod in recusatione suspecti judicis tantum ejus *affectio singularis erga litigantem ipsamque causum*, non vero vinculum inter judicem & advocatum, in censum veniat d). Advocati vero et si operam (sunt ipsa LEYSERI verba,) liti præstant, ipsorum tamen non est lis, sed quod ad eam extranei sunt, & favor in eos alienus est a causa. Dicas forsitan fieri non posse, quin iudex advoco favens causæ ab illo suscepit non faciat. Sed et si hoc concesserimus, non consequitur tamen inde, male judicaturum. Igitur indicium hoc parum perspicuum ad suspectum judicem reddendum haud sufficit. arg. L. 6. C. de Dolo malo. Accedit, quod liberum est alteri, remedium per universam Germaniam receptum adhibere, atque, ut sententia a Collegio juridico exceptatur, flagitare, quo ipso iudicii occasio filio gratificandi admittetur. Nunc quidem, etiamsi mihi hæ rationes a Viro celeberrimo allegatae non extra omnem dubitationis aleam positæ videntur, atque forsitan ex ipsa analogia Juris communis pro contraria sententia deponi possent argumenta e), nihilominus, cum pro libertate in dubio præsumtio militet, atque nullibi disertis verbis in Legibus pater prohibeatur judicare in causa, cui filius patrocinatur; nec ipsa hæc causa, ceu suspicionis ratio, perspicue recensetur, facile hic LEYSERI ejusque affectuarum asserto adtipulor, maxime etiam, quod idem analogiæ Legum recentiorum f) atque quotidianaæ experientiæ conforme esse existimo.

c) Spec. 67. Med. I. adde LAUTERBACH. Colleg. Pand. tit. de Ju-  
dic. §. 39. SCHAUMBURG Comp. Pand. eod tit. §. 18. aliosque.

d) per L. 10. D. de Jurisd. & C. 36. X. de Appellat.

e) qualia adduxit præcipue SCHULTINGIUS I. c. C. 8. §. 7.

f) cf. Ord. Judic. Aul. & Cam. & Ord. Reg. II. cc.

Quinimo succurrit nostræ sententiæ faltem certo modo analogia Juris Canonici *g)*, quod recusationem judicis, cuius domesticus causæ patronus est, non admittit.

Non vero alterius tantum, sed & *sui ipsius amor* judicem suspectum facit. Timetur hic merito, ubi judex in causa nunc a se decidenda antea jam judicem, vel arbitrum, vel etiam patronum egit, aut ut testis pro illa depositum. Quotus enim quisque est, qui contra eum sententiam ferat, a cuius partibus antea steterat, & sic quodammodo contra se ipsum pronuntiet? Stat igitur firma hac de re Cujacri sententia *b)* claris innixa Legibus *i)*, quæ etsi de judice pedaneo intelligendæ videantur, & prohibitionem rectius involvere; recusationis tamen hodie causas præbent ob rationis paritatem etiam ad ordinarios judices extendendas *k)*.

## §. II.

### O D I U M.

Altera suspicionis causa *Odium* est, quo judex in partium litigantium alterutram fertur. Hæc animi averio plerumque cum cupiditate, adversario nocendi, conjuncta si liquido pateat, aut si inimicitia inter judicem &

*g)* C. 1. *X. de Offic. Jud.*

*b)* *Observ.* L. XII. Cap. 19, & ad c. 40. *X. de test. & attestat.*

*i)* L. 6. *C. de Postul.* L. ult. *D. de test.* adde dict. Cap. 40. *X. de test. & C. 36. X. de Appell.*

*k)* Hos & alios præterea casus recenset *Ord. Reg.* supr. allegata, subiungens *Art. 12.* generalem enunciationem: *N'entendons aussi exclure les autres moyens de fait, ou de droit, pour lesquels un juge pourroit étre valablement recusé.*

partem litigantem utut non capitalis a) suis se signis manifestaverit, judicem sine dubio suspectum facit b), si quidem ab homine pudito hoc vitio laborante, quod iustum & æquum est, sperari non potest. Quæritur itaque, quandonam fundata sit & sufficiens ad recusationem odii in judice suspicio? Sunt, qui freni impatientes pœnas licet justissimas judicis odio adscribunt, & ita judices, a quibus nuper puniti fuerunt, si causam coram iis habeant, ut suspectos ob odium, recusant. At fallunt plerumque tales & falluntur. Militat enim ex Legum c) præscripto pro Magistratibus præsumtio, eos non ex odio, sed ex officio & amore iustitiae punire, & sic justa suspicio locu non datur d). Cum tamen ex Juris brocardico præsumtio cedat veritati, suspectum odii judicem fieri existimo, si liquido probari possit, pœnas ab illo iteratas manifeste innocentia & quidem festinanter ac turbide fuisse inflictas. Affine huic est, si judex positos sibi vel Lege vel Principis mandato limites in causa tractatione excedit. Imperitia id quidem non raro argumentum est, sed tamen saepe & odii signum; unde si de judicis peritia ceteroquin constet, nimius ejusdem rigor in decretis e. gr. contra LL. & Principis mandatum datis, incarceratione partis litigantis, aliisque hujuscmodi admissis, omnino injuriam secum fert talem e), quæ judicis

a) MARANTA & RITTERSHUSIUS ad Nov. P. IX. c. 6. n. 96. quo-  
rum sententia conformis est L. 9. pr. de Liberat. Canf. & C. 4.  
§. 1. X. de Appellat. contra ZANGERUM de Except. P. II. Cap. 4.  
n. 20.

b) C. 1. de Sent. §. Re judic. in 6. Can. ult. Cauf. 3. Quæst. 5. &  
C. 41. X. de Appellat.

c) L. 13. §. 6. D. de Injur.

d) LEYSERUS Spec. 67. Med. 3.

e) L. 32. D. de Injur.

judicis contra partem litigantem odium merito facit præsumi f). Ceterum non quidem semper fundata est odii præsumtio, quæ ex errore a judice commisso defumitur; neque judicem in sententia errantem vocare statim cum RITTERSHUSIO g) illiteratum, imperitum, grossum & grossulanum fas puto; odii nihilominus justa suspicione premi judicem itatuo, qui Legum alias sat gnarus, & minime negligens sententia, præfertim interlocutoria mixta, partem litigantem læsit: cui enim, nisi tecta inimicitia, hunc errorem adscribas? Verum hæc cum in facto consistant, non tam Legibus, quam prudentis judicis superioris arbitrio definita sunt.

Alia hac in materia controversia oritur; nempe parti litiganti judicem, a quo appellavit, propterea ut suspeccum recusare interdicit Jus civile h); Jus Canonicum permittere videtur i). Nec utriusque Juris dispositio suo caret fundamento. Quodsi enim probanda in recusatione suspicionis causa est; probari autem judicis odium exinde nequit, quod pars recusans causa ceciderit, neque judicem inde offensum esse præsumi potest, quod ad superiorem appellatum sit, siquidem in dubio pro judge præsumitur, recusari ob præcedentem appellationem judicem posse Jus civile merito prohibuit. Concessit id ipsum tamen non debilioribus ex rationibus Jus Canonicum, at simul tamen ad casum judicij appellationis adhuc pendentis suam decisionem restrinxit. Etenim, et si ap-

## D

f) Ita responderunt Jcti Wittenbergenses apud LEYSERUM Spec. 67. Med. 4.

g) ad Novell. P. IX. C. 6. n. 101.

h) L. un. D. Apud eum, a quo appell.

i) C. 6. & 24. X. de Appell.

pellatio non ad contumeliam judicantis, sed ad utilitatem litigantis *k)* introducta sit; adeoque cordatus judex ea offendit vix possit; cum tamen partium indemnitatit omni modo prospiciendum sit, & præterea judices omnes nonnunquam humani quid pati possint, illique interdum appellatione offendit *l)*, quin in appellantates fævire soleant *m)*, hinc CANONES judicis, a quo appellatum fuit, recusationem in casu allato admittunt. In genere quidem Juris civilis dispositionem frequentius obtinere certum est; at puto tamen, Juris Canonici decisionem tunc quidem facilius, si a judice uno, quam si a toto collegio, & eo in casu absolute locum habere posse, si ad oculum ostendi possit, judicem interpolita appellatione fuisse sine fontica causa graviter offensum, ut jam timeri ejus vindicta debeat.

### §. III.

#### C U P I D I T A S.

Per Cupiditatem, quam tertium suspicionis fontem statuo, hoc loco *aurei sacra famæ* intelligitur. Effræna hæc prorsus commotio est, & ubi semel judicis animum invasit, nihil tam sanctum est, quod non violet, nihil tam arduum, quod non audeat, nihil tam humile, quod non suscipiat. Hoc autem cumulandi bona desiderium in judice præsumitur, si ex cause decisione aut emolumenntum speret, aut damnum metuat. Hanc judicium pestem ut suis a tribunalibus procul arceret antiquitas, faluberrimis legibus cavit. Ne venalem iustitiam habe-

*k) L. 11. C. Tb. de Appellat.*

*l) L. 20. C. eod. tit.*

*m) L. 25. D. de Appellat,*

rent judges, aut, quod insigne ALEXANDRI SEVERI a) dictum est, quod emerunt, venderent, voluit illos sine suffragiis pecunia emitis creari b); quod, quia forsan fuc-cessu temporis parum observatum fuit, severe denuo JU-STINIANUS præcepit c). Ipsi etiam corruptioni judicum jam constitutorum obviam ivit Lex Julia repetundarum, &, ut omnis corruptele umbra amoveretur, judiciorumque sanctitati consuleretur, ulterius progressæ LL. sunt. Neminem in causa sua permittunt esse judicem d), neminem arbitrum e); quod non tantum ratum habuit Jus Canonicum f), sed eo usque extendit, ut judex, qui causam similem habet, judicare jam in causa non possit g).

Suspectus igitur judex est & recusari jure potest, qui in causa, ut ajunt, interesse habet b) propterea, quod teste SENECA i) nemo non sit benignus sui judex. Sup-petunt nihilominus exempla, judices fedille eos, ad quos decidenda causa pertinuerat. TIBERIUS Cæsar k), Regina

D 2

a) LAMPRIDIUS in Vita ALEXANDRI SEVERI C. 49.

b) L. un. C. ad Leg. Jul. repetund.

c) Novell. 8.

d) L. un. C. Tb. Ne quis in sua caus. jud. adde tot. tit. C. eod. & L. ult. §. 2. C. ubi Senator vel Clariss.

e) L. penult. D. de Recept. qui arbitr.

f) Cap. I. de Sent. & Re jud. in 6.

g) C. Causam que 18. X. de Judic. idquod nominatim approbat ORD. REG. l. c. Art. 5.

h) L. I. §. II. D. Quand. appell. sit.

i) de Benefic. L. II. Cap. 26.

k) L. un. §. 4. Inßt. de vulgar. Substitut. & L. 41. D. de Hered. in. situona.

BERENICE <sup>1)</sup>) testes fuit; & JULIUM CÆSAREM Regis DEJOTARI fuisse judicem, CICERO perhibet <sup>m)</sup>, quod *re iniquum*, *considerata tamen Casaris sapientia aquissimum dissimulando vocat*. Idipsum & hodie a Principibus summum Imperium vel potestatem summi Imperii æmulantur habentibus fieri videmus. Et in puniendis quidem delictis contra Principem admissis hic ipse regulariter causæ cognitionem habet, & poenas decernit, et si Principes æqui amantiores id Statibus provincialibus non raro relinquunt, ne illatarum sibi injuriarum ultores nimis rigidi videantur. Illustre rei hujs exemplum dedit CAROLUS IX. Suecorum Rex, qui initam aduersus se a regni Ministris coniurationem puniendam reliquit regni Comitiis, quæ præsentibus exterorum Principum Legatis, veluti testibus ac arbitris, celebrabantur <sup>n)</sup>. Quod huic Principi voluntas fusat & æquitas, hoc aliis in regnis vel usu vel Legibus introductum est, ut nempe Personæ illustres a nemine, nisi a *paribus* condemnari possint, uti de GALLIA <sup>o)</sup>, ANGLIA <sup>p)</sup> & POLONIA regno <sup>q)</sup> compertum habemus. Quod agere si Principes nec velint, nec debeant, judicant ipsi, poenasque de delinquentibus sumunt; cuius judicii æquitatem deinde actis publice editis mortalibus probare conantur <sup>r)</sup>; quod medium an-

<sup>1)</sup> QUINTILIANUS *Infl. Orat.* L. IV. cap. 1.

<sup>m)</sup> *Orat. pro Rege DEJOTARO* cap. 2.

<sup>n)</sup> PUFENDORFII *Einleitung zu der Historie des Königreiches Schweden*, §. 61. p. 29.

<sup>o)</sup> cf MORNACIUS ad L. 1. C. ubi Senatores.

<sup>p)</sup> Dedit hoc jus genti Anglicæ HENRICUS III. Rex in *Magna Charta* sive corpore privilegiorum Anglia indultorum cap. 14. & 29.

<sup>q)</sup> STARAVOLSCIUS in Polonia tit. de Nobilitatis Prærogativa p. 77. CHWALKOWSKI in *Jure publico* L. III. Cap. 2.

<sup>r)</sup> ANTON. WECKIUS in *Descriptione Dresdæ* P. II. tit. 1. affert exeme-

amoliendæ omni suspicioni sufficiens sit, hujus loci non est definire. Aliud, idque multo efficacius, nonnunquam adhibent Principes. Causa nimirum cognitionem, illiusque decisionem suo dein nomine promulgandam JCTis exteris, sibi plane non obnoxias, relinquunt, quod LEO-  
POLDUS ille Magnus, religiosus profecto Princeps, illustri exemplo præstítus <sup>s)</sup>, cum Acta publica in causa con-  
spirationis Nadastri & sociorum adversus se initæ ad Aca-  
demias Ingolstadiensem, Tübingersem, Lipsiensem &  
Spirensse Tribunal transmisit, ibique voluit causam venti-  
lari. Quam Actorum ad *Impartialis* transmissionem an  
non petenti parti litiganti concedere Princeps saltem in  
conscientia teneatur, problema esto in foro Theologico  
discutiendum.

Num in civilibus pariter causis ad se pertinentibus  
Principes ipsi judicare possint, difficilior quæstio est. No-  
vi quidem id a Principibus sœpe non fieri; amant illi potius,  
quod ZIEGLERUS suadet <sup>t)</sup>, causæ cognitionem collegitis  
judicisve suis committere, iisque non raro, donec causa  
decisa sit, jurisjurandi, quo ipsis obstringuntur, vinculum  
remittere; quo tamen medio suspicionem minui qui-  
dem, non tamen deleri penitus exempla <sup>v)</sup> docent. Hæc

D 3

---

plum FRIDERICI Placidi Elect. Sax. in causa *Conradi Kauffangi*.  
Aliud occurrit in gründlicher auf des Herrn Markgrafen zu Bran-  
denburg Onofrbach gnädigsten Beschl ex actis gezogener Nachricht  
in abgeurtheilter peinlicher Inquisitions-Sache Christoph Christian  
Häntels edit A. 1720.

<sup>s)</sup> FRANC. WAGNERUS in *Historia LEOPOLDI* M. P. I. pag. 252.

<sup>t)</sup> de *Juribus Majestatis* L. I. C. I. §. 31.

<sup>v)</sup> Hoc declinandæ suspicionis remedium jam Romanorum Impe-  
ratoribus usitatum, sed simul fallax fuisse testatur TACITUS *An-*  
*nal.* II. Cap. 28. & seqq. *Annal.* IV. Cap. 19. 29. 30. 70. *Annal.*  
*V.* Cap. 3. 4.

quidem possunt, si velint, solentque facere boni Principes. Aut an Juris necessitate ad hoc sint adstricti? adeo expedita res non est. Quaritur nimurum, an Princeps in civili causa propria, aut in qua saltem *interesse*, uti dicunt, habet, vel per se ipse, vel per constituta a se Dicasteria judex esse possit? Evidenter negandum non est, Leges rectamque rationem in regula judicium in propria causa non ferre *x*): incongruum enim admodum videtur, ut duplicum quis personam, actoris nempe reive, & simul judicis sustineat; & fere non potest non congenitus mortalibus erga se suaque amor judicem in propria causa valde suspectum reddere. Unde videntur fane ab hoc obligationis vinculo liberari vix posse Principes, qui quippe, licet voluntariis legibus sive a se, sive ab aliis latissimis soluti sint, æterna tamen & necessaria Naturæ Lege omnino tenentur *y*). Verum enimvero possunt nihilominus de jure sibi ipsis jus dicere I.) Principes, qui superiorem in his terris plane non agnoscent, quamvis raro ipsis vel cognoscere de causa, vel sententiam ferre, sed potius Tribunalibus a se constitutis libenter id negotii committere soleant *z*): II.) Principes Imperii in Germania, qui

*x) tit. C. ne quis in sua caus. cf. L'Arrêt du Parl. de Paris du 10. Juill. 1665, dans le recueil des nouveaux Règl. pour l'administration de la justice. & BOUCHEL Biblioth. du Droit franç. voc. Juge.*

*y) In contrarias fere partes circa hanc causam abeunt DD. MEVIUS P. V. Dec 322. n. 1. Principes ab hac obligatione liberat; COCCUS vero in Diff. de Judece in propr. causa §. 70. eodem in regula ad eam adimplendam adstrictos esse, &, quidem haud adeo incongrue, statuit.*

*z) Concedunt id non solum Principibus regulæ Juris Publ. universalis, sed & ipsæ LL. Juris communis in subdium recepti, quas adducit GOTHOFREDUS in Notis ad allegat. tit. C. ne quis in sua caus. Rex Galliae causas civiles, qua ipsi cum subditis suis intercedunt, coram Parlamento suo ventilari lubens permittit, uti idem laudatus Auctor L. c. recte observat.*

universali per Germaniam regnante consuetudine id juris sunt consecuti; unde quotidie & ubi vis videmus, in causis cameralibus, fiscalibus aliisque, cum subditis suis, quinimo cum integris Civitatibus subjectis, ipsis intercedentibus vel Principes ipsos, vel per sua Dicasteria judicium exercere. Afferunt hanc consuetudinem certatim Juris & Processus Germanici Interpretates aa) exemplaque eandem abunde probant bb). Ex eadem consuetudine proinde etiam fluit, Principi Imperii ex hoc solo capite, quod in propria causa judicet, exceptionem suspicionis opponi non posse, neque adeo eadem opposita rem ad Cameram devolvi; sed illam nihilominus coram eodem Dicasterio ventilandam esse; fecus esset, si aliae præterea fundatae causæ militarent, aut plane iustitiae administratio vel denegaretur, vel protraheretur cc).

Secundum hæc principia igitur sententia a Principe in propria causa lata non est nulla, idquod recte eosque extenditur, ut nec Commissarii a Principe in causa propria constitutis suspicionis exceptio temere opponi posse statuatur. Evidem multi funt, qui tales Commissarios, quippe ut plurimum Ministros, vasallos, subditos Principis & a nutu ejusdem pendentes gravi suspicionis odio

aa) Cf. HEINECCIUS in *Diss. de Dominis subditos suos in iudicio suo convenientibus*. TEXTOR ad R. F. nov. Disp. 2. n. 48. Testimonium JCtorum Helmstadiensium apud LEYSERUM Spec. 69. Med. 1. & 2. BLUM I. c. tit. 26. §. 26. & ad illum DECKHER in *Vindicta. ad d. T.* Addit. prejudicium de hac re Camerale recentioris ævi apud L. B. DE CRAMER in den Westfälischen Nebenstunden, P. XXVII. Cap. 7. aliquie ex recentioribus Juris & processus Germanici Interpretibus, laudati apud HOFFMANNUM in der Deutschen Reichs-Praxi, P. III. §. 226o. not. k.

bb) GAIL L. I. Obs. 1. n. 19. LUDOLF *Jur. Cam.* Sect. I. §. 1. n. 15. & DE CRAMER I. c. P. II. Append. pag. 197. & seqq.

cc) LUDOLF & DE CRAMER II. cc,

premunt, mordacique ore in eos insurgunt, quasi vero illi semper æquitatis immemores, per *fus*, uti ajunt, & nefas, quoconque demum modo Principis commoda promovere studerent *dd*). Verum alii rectius negant, Commissarios Principum qua tales simpliciter ut suspectos recusari posse *ee*), siquidem alias facile Commissariorum, quibus sæpius carere non possumus, usus omnis e medio tolleretur, atque ita amplissima eludendorum judiciorum materia subditis suppeditaretur. Hæc regula vero tum exceptionem omnino patitur, cum constat, tales Commissarios privata inimicitia, seu alia quadam æmulatione in litigantem subditum ferri, quo in casu fane a suspicio-  
nis nota, sive naturalem æquitatem, sive Leges confide-  
res *ff*), absolví neutiquam possunt. Soli enim forsani CATONI feliciter celsit *gg*), quod multis aliis admodum funestum erat, ab inimicis, non ex pravo animi motu, sed ex æquitatis norma judicari. Et quidem, quæ dicta sunt hactenus, eousque valent, ut talium Commissariorum ex capite inimicitiae ailiove simili suspectorum recusationem ne quidem statuto, vel Principis delegatio-  
ne, facta cum clausula, *recusatione remota* impediri arbitrer. Huic sententiae ut cum LEYSERO *hh*) contra plerorumque opinionem *ii*) accedam, non modo JCTO-  
rum

*dd*) MENAGIUS remarq. sur la vie de Guill. Menage pag. 342. PAS- QUIERIUS Recherches de la France L. VI. Cap. 8. pag. 47<sup>1</sup>.

*ee*) LEYSER Spec. 67. Med. 9. MEVIUS P. I. Dec. 194. BAYLE Dictionnaire historique & critique Art. Marillac. lit. A. n. 4.

*ff*) Cap. 39. X. de offic. & potest. jud. deleg.

*gg*) VALERIUS MAXIMUS L. III. Cap. 7. n. 7.

*hh*) Spec. 67. Med. 11.

*ii*) SCHRADER Tract. Fend. P. X. Sect. 3. n. 9. & apud illum multa alii.

rum magni nominis *kk)* me movit auctoritas, sed illud  
principue impulit, quod suspecti judicis recusatio Juris  
naturalis beneficium sit, quod adimere nemini Princeps  
potest *ll).*

Remanet vero nunc adhuc dubii scrupulus haud le-  
vis, cuius supra mentio facta est, e medio removendus.  
Nimirum naturalis ratio si impedit, quo minus quis pol-  
lit esse in propria causa vel per se vel per alios judex,  
quaeritur, qua ratione usus forensis haec tenus allatus ab  
iniquitatibus macula purgari queat? Et quidem remedium  
conciliacionis, ni totus fallar, suggerunt ipsa Juris publ.  
universalis præcepta, utpote secundum quæ causæ Prin-  
cipis non tam privatæ, quam potius ipsius reipublicæ  
cause recte putantur. Ita sane jam Veteres senserunt.  
*ULPIANUS mm)* certe causam propriam eam esse dicit, cu-  
jus emolumentum vel damnum ad aliquem suo NOMINE  
pertinet; nunc vero civiles æque ac criminales causæ a  
Principibus decidi solitæ *reipublicæ magis nomine*, quam  
*proprio* ad Principes pertinent, & *publicæ* potius, quam  
*privatae* sunt; ex quo proinde conficitur, judicia, quæ  
Principes exercent hodie, nec rationi æquitatique natu-  
rali, nec civili Juri repugnare.

A Principibus ad Nobiles transeo. Notum est, in  
multis Germania locis Nobiles, qui jurisdictionem pa-  
troniale habent, eandem in propriis causis exercere;  
verum an jus illud respectu omnium Nobilium universa-

E

*kk)* DURANDUS in *Specie* L. I. tit. de *recusatione* §. I. n. 5. LAN-  
CELLOTUS de *Attentatis* P. II. Cap. 6. n. 33. ZANGERUS de *Ex-  
ceptione*, P. II. Cap. 4. n. 12.

*ll)* vid. supra pag. 4.

*mm)* L. I. §. II. quando appelland.

ie est? Videtur id afferere SCHILTERUS *nn*). Ast frustra in illius asserto, qui Nobilibus hac in parte adulantur, præsidium querunt. Non enim hic Auctor ex sua, sed ex ZIEGLERI mènte loquitur, qui tamen rursus *oo*) ad ZASIUM provocat; hunc vero qui evolverit, nec voluntam nec vestigium hac de re deprehendet, cum non de *Nobilibus*, sed de Principibus illi sermo sit *pp*). Crederem igitur cum ZANGER<sup>o</sup> *qq*) & LEYSER<sup>o</sup> *rr*), Nobilibus exercitium jurisdictionis patrimonialis in aliquibus quidem Provinciis, veluti Saxonii *ss*), Marchia *tt*) & Ducatu Magdeburgico *vv*) competere; hanc tamen conuentudinem, utpote periculofam & a Jure communi recedentem minime extendendam, sed potius ad eas solum terras, ubi recepta est, & liquido probari potest, esse restringendam. Ubi vero mos ita judicandi viget, Nobiles in eo tantum casu, quo *auctor*is, non quo *rei* partes sustinent, nec, si de mutuis inter Dominum jurisdictionis, & ei subjectos injuriis delictisque queritur, trahere ad suum judicium rem posse, fere concors est Doctorum sententia *xx*). Quin imo cum ferendum etiam ab ipsis Nobilibus judicium suspicione non caret, non tutius

*nn*) In Comment. de Landaffiis Cap. 7. §. 31. & Exercit. ad Pand. Exerc. 6. §. 16.

*oo*) in CALVOLUM, §. Nobiles. n. 19.

*pp*) in Leg. qui jurisdictionem. D. de jurisdictione. n. 13.

*qq*) de Except. P. II. C. I. n. 408.

*rr*) Spec. 68. Med. I.

*ss*) Ord. Prozeß. Saxon. tit. 2. §. 3.

*tt*) BRUNNEMANN. ad L. 10. de Jurisdic<sup>t</sup>. n. 7.

*uu*) Ord. Proc. Magdeb. Cap. I. §. 7.

*xx*) BERGERI Supplementa ad electa Disput. forens. P. II. p. 43.

solum *yy*), sed ex Cl. J. Ctorum mente necessarium videatur *zz*), ut sententia Nobilem inter, & ipsi subjectos lata Nobilis quidem nomen preferat, attamen a collegio quodam juridico concipiatur.

## §. IV.

## T I M O R.

Supereft quartus fufpicionis fons, *Timor*, quo *pu-*  
*ffillanimitas quædam, mentisque trepidatio* intelligitur, quæ  
 hanc vim nonnunquam habet, ut jude<sup>x</sup>x, si ex Juris nor-  
 ma proferret fententiam, aut Magnorum amittere gra-  
 tiam, aut potentum offensam incurrire metuat. Quæ  
 animi labes ut probrofa eft viro, fic periculoſa eft parti-  
 bus litigantibus, & iuftitiae inimica. Et hinc eveniſſe  
 existimo, ut non una vice hanc recufationis cauſam Ro-  
 mani attulerint exclamantes: *Hunc nolo; timidus eft a;*  
 quæ proinde iniuitatis fufpicio nostris adhuc temporibus  
 ad recufationem sufficit, quamvis raro uſu venire  
 folet, atque boni Principes a iudicibus ſibi addictis vel  
 in cauſis fe ipſos conceruentibus, quod iuftitiae adverfe-  
 tur, exſpectent nihil, multo minus exigant.

Atque haec de fufpcionum cauſis ac fontibus notaſſe  
 sufficiat; nunc ad modum, quo recufatio ipſa inſtituen-  
 da fit, properemus.

E 2

*yy*) IDEM l. c. pag. 42, & ſeqq.

*zz*) CARPOV. L. II. Resp. 14. n. 12. ZIEGLER *Dicafice Con-*  
*cluf. 12. §. 31.* ZANGER de *Except.* P. II. C. I. n. 408.

*a)* PLINIUS in *Paneg.* Cap. 36.

## III.

*Quomodo recusatio suspecti judicis  
instituenda sit?*

## §. I.

*An causa alleganda & probanda sint?*

Liberimam fuisse libera Republica judicum recusationem, eam absque causae allegatione, nedum probatione processisse, atque siquidem causae interdum fuerunt allegatae, illud voluntatis potius, quam necessitatis fuisse supra a) probatum dedimus. Verum haec recusandæ facultas ab omni causæ allegatione libera & immunitis sub HADRIANO jam restricta sub ZENONE evanuisse videtur. Conservavit enim nobis Virorum doctissimorum b) industria Constitutionis a dicto Imperatore editæ epitomen c), in qua judicem *justu* tantum ex causa recusari posse, decernitur, id quod græcum dictæ legis εὐλόγως significat, & nequaquam, ut nonnulli volunt, bona fide indicat. Haec vero omnia rursus evertit JUSTINIANUS, qui nulla facta de probatione causarum mentione apertissimi juris esse inquit, licere litigatoribus judges delegatos, antequam lis inchoetur, recusare d); quam facultatem litigantibus sim-

a) vid. pag. 4.

b) CUJACIUS ex Lib. VII. Bartolini tit. 6. Cap. 12. hanc Legem restituit. CONTIUS illam latine reddidit.

c) in L. 12. C. de Judic.

d) L. 16. C. de Judic.

pliciter Jure Novellarum e) indultam scimus. Et hæc quidem Juris Romani tam veteris quam novi dispositio pro illorum temporum ratione satis æqua fuit, utut graves in illa nævos HUGO DONELLUS f) deprehendisse sibi visus fuerit. Nulla libera hac recusatione judicibus interferebatur injuria, utpote hominibus privatis, non fecus, ac arbitrio, qui a parte una propositus ab altera rejicitur, id minime ignominiosum est; unde etiam antiquum illum judiciorum ordinem, quem libera Roma probavit, & CICERO g) & PLINIUS h) meritis laudibus extollunt. Neque illum Juri repugnare arg. L. 19. D. de Probation. evincitur: Lex enim illa de exceptionibus peremptoriis loquitur, uti, quæ in illa occurrunt, exempla docent, & in iis cum causæ cardo vertatur, merito probationem plenam desiderat, quod tamen ad judicis recusationem, utpote quæ non item ipsam, sed litis ingressum concer- nit, pro temporum illorum ratione extendere necesse non fuit.

Hodie vero hæc res propter mutatum judiciorum ordinem aliam plane faciem induit. Ignoramus hodie pedaneos & privatos judices, urnas non novimus, nec periti bonique judicis dationem cæcæ sorti amplius debemus. Prostant nostro ævo judices, personæ publicæ, a Superioribus potestate juris dicundi exornatae, illosque, dum ferunt sententias, reprobantes. Agnovit hoc Jus Canonicum, & proinde tam judicantium dignitati hono- rique prospicere, quam litigantium alios vexare volen-

E 3

e) Nov. 53. Cap. 3. Nov. 96. Cap. 2.

f) Comment. Jur. Civ. Lib. XVII. Cap. 25.

g) Orat. pro CLUENTIO Cap. 43.

h) Panegyr. Cap. 36.

tium nequitiæ aditum præcludere conatum est statuendo,  
i), suspicione, & oriundæ ex illa recusationis causas al-  
legandas & probandas esse. Atque hoc ipsum observari  
in Tribunalibus & praxi hodierna receptione esse k) dubio  
caret.

## §. II.

*Annon per solum juramentum perhorrescentiae suspicionis  
causa probari possint?*

Causas itaque in recusatione judicis hodie proban-  
das esse, certum est. Si per testes aut instrumenta id  
fieri potest, res expedita est: at ea probandi remedia si  
vel omnino desint, aut ex iisdem ne quidem probatio  
semiplena simplex formari possit, adeoque juramento  
suppletorio, uti passim DD. statuunt, locus non sit, num  
nulla plane ratione suspicio de judge concepta probari  
possit, in quæstionem deducitur. Potest fane: idque per  
*juramentum*, ut vocant, *perhorrescentie*. De origine,  
natura & usu hujus jurisjurandi mira est inter DD. con-  
tentio, quam antequam exponam, breviter nonnulla  
expedienda veniunt.

Ac primo quidem certum est, libera adhuc Repu-  
blica judges a partibus *latos* a), & de quibus litigantes  
inter se *convenire* debuerant b), recusari libere & sine  
omni jurejurando potuisse; cui enim bono adhibita fuisset

i) C. 41. X. de Appellat. C. 27. & 39. X. de Offic. & Potest. Jud.  
delig.

k) GRÖNEWEG. de Leg. abrogat. ad L. 16. C. de Judic.

a) LIVIUS L.VIII. ita scribit: *Eumque tibi exercitus Senatusque ja-  
dicium fugienti judicem fero.*

b) SIGONIUS Tom. II. de antiqu. Jur. Pop. Roman.

jurisjurandi religio, cum ne allegatio quidem causæ fuerat necessaria, sed partium voluntas omnia conficiebat? Neque in recusatione aliorum judicum, quos Prætor aut Præfes dabat, intervenisse jusjurandum contra JCTos licet clarissimos c) contendo. Quæ enim afferunt suæ sententiae momenta tantum apud me non possunt, ut ipsi subscribam. Res fere tota eoredit, quod CICERO variis in locis d), ubi de recusatione judicum sermonem instituit, verbo: *Ejerare* utatur. Verum quam debile argumentum est, quod voculæ instruitur, cum hæc ipsa nunc *simpli-  
cem denegationem aut abnuationem* e), nunc tropice accep-  
ta horrorem de re quadam conceptum f) significet? quin imo PLINIUS g) & ipse TULLIUS h) vocabuli hujus sensum abunde declarant, cum ille de *ejeratione Magistratus*, hic de *ejeratione provinciæ* loquitur; ubi vocem ejerare nihil aliud indicare, quam *deponere officium*, citata verba inspi-  
cienti patebit, quod utique sine jurejurando fieri potuisse nemo negaverit. Neque ullum recusationis per jus-  
jurandum factæ exemplum historia commemorat; quod enim ex ASCONIO PEDIANO i) affertur ANTONII factum,  
huc plane non pertinet, cum judicem ab illo tum recu-  
satum fuisse jam supra k) negaverim, et si jusjurandum

c) CUJACIUM L.IX. Obs. 23. FELTMANNUM de *Juram, Perhor-  
refc.* L.l. C. 12,

d) L.II. de *Orat.* Cap. 70. L.III. in *Verr.* Cap. 60.

e) FESTUS de *Verb. Sign.* dicit: *Ejeratio significat, id, quod deside-  
retur, non posse praestari.*

f) in PETRONII *Satyr.* hæc loquendi formula occurrit: *Si ejuras  
bodernam bitem.*

g) L.I. Epist. 23.

h) *Verrina II.*

i) in Not. 2. ad *Orat. CICERON.* in *Toga candida.*

k) pag. 8.

inutile & minime necessarium ab ANTONIO homine impudente & improbo præstitum fuisse, facile largiar. Liquet ergo Romanis recusationem judicum per jusjurandum fuisse incognitam, aut saltem istud non fuisse necessarium, quamvis nonnunquam præter necessitatem cum jurejurando judices ab aliquibus recusatos fuisse haud abnuerim.

Præterea nec in Legibus nostris hujus jurisjurandi fundamentum reperio. Parum apte enim *L. un. C. quand. Imper. inter pupill. & vid.* in hanc rem a variis Doctoribus *l)* allegatur, eo quod in illa non de recusatione judicis, & multo minus de jurejurando vel verbulo mentio fit, sed privilegium solummodo personis miserabilibus ab Imperatore concessum occurrit, ut nempe eorum causæ, five actores five rei sint, coram summo statim judicio agitantur. Agnovit idipsum cum FELTMANNO *m)* STRYCKIUS *n)*, qui propterea relicta, quam prius adoptaverant, fententia, nostraræ accesserunt. Nec fortius in *L. 12. C. de Judic. pro juramento perhorrescentie* præsidium latet, quamvis illud sese ibidem deprehendisse mire sibi gratuletur BROCKES *o)*, ad nativum significatum græci vocabuli *Ἐπαυσία* provocans, quod in textu authentico græco dictæ Legis occurrit. Enimvero hoc vocabulum non semper *abjurationem stricte sic dictum*, aut *inficiationem* *cum*

*l)* BARBOSA ad loc. cit. MEVIUS P. VI. Decis. 71. FELTMANN *l. c. L. I. c. 4. §. 4.* MYNSINGER Cent. III. Obs. 58. STRYCK *Introd. ad Prax. forens. C. IX. §. 15. &c.*

*m)* *l. c. L. I. C. 9.*

*n)* U. M. Pand. tit. de *Judic.* §. 14.

*o)* Diff. de *Jur. perhor.* ejusque usu pract. §. 38.

cum jurejurando, sed nunc meram excusationem <sup>p)</sup>, nunc  
rei cuiusdam abdicationem <sup>q)</sup> significare, testimoniiis a  
Lexicographis STEPHANO & BUDÆO collectis clare do-  
cemur.

Atque haec tenus cum Cl. CARRACH in Diff. de eju-  
randa ejuratione bona spei, seu de exiguo usu Juramenti  
perhorrescentiae adversus judicem <sup>r)</sup> sensi, imposterum cum  
celeb. ejus adverfario Dn. BROCKES <sup>s)</sup> in multis sensuris.  
Ac primo quidem juramentum perhorrescentiae suam Juri  
Canonico debere originem, & in Cap. II. de Rescriptis  
in <sup>t)</sup> sto, saltem ejusdem deprehendi vestigium affirmo.  
BONIFACIUS VIII. nimirum generatim in cit. Capitis Spho  
Cum vero constituit, causas omnes ordinario in foro esse  
decidendas, aut a mittendis a Sede Apostolica judicibus  
delegatis in loco cause proprio esse ventilandas, duas ta-  
men exceptiones subiungens, nisi ab Episcopo contra ali-  
quem et sua Diœcesi vel ab aliquo contra Episcopum &c. actio  
dirigenda fuerit; aut actor eandem civitatem intrare non  
audens sui adversarii potentiam merito perhorrescat. Non  
equidem me latet, exceptionem secundam de vi privata  
loqui, qua pro turbido illorum temporum statu loca  
hinc inde minus tuta reddebantur, cum diffidationes Ger-  
maniam æque ac Italiam inundaverint, & causa vi magis  
quam Legibus tunc temporis fuerint decisæ, uti ex toto

F

<sup>p)</sup> cf. DEMOSTHENIS verba: ἵπποτοῦ ἀπάντη τελοῖ, apud STE-  
PHANUM in *Thesauro Ling. Græc.*

<sup>q)</sup> BUDÆUS ex Plutarebo in Cicer. vocem ἀπίμωνις, & ex Aristotele  
Politiorum 4. ἐξημνθεὶς vertit; abdicq.

<sup>r)</sup> edita die 12. Sept. 1729.

<sup>s)</sup> *L* mox citato, not. o.

tit. de Treuga & pace Domini, atque DATTII t) testimonia patet; & exceptionem primam de judice Eccles. & causis Ecclesiasticis loqui. Verum tamen cum Pontifex hoc capite securitati partium litigantium & libertati voluerit plane prospectum, illaque omnia, quæ his contraria sunt, ad declinationem ordinarii fori sufficere decreverit, dummodo metuens de suo timore SALTEM PER PROPRIUM JURAMENTUM fidem faciat, arbitror a vero me non abludere, si dixerim, ex hoc capite recusationem per juramentum perhorrescentiae instituendam commode derivari posse.

Vifa hujus jurisjurandi origine superest, ut ejus indoles & natura sub examen vocetur. Est scilicet *juramentum perhorrescentiae religiosa affirmatio FUNDATI timoris*, propter quem *judicis forum declinatur*. Fundati dico, ut ab illorum JCtorum n) partibus recedam, qui ne allata quidem suspicionis causa judicem solo jurejurando recusari posse existimant. Horum facile Princeps FELTMANNUS est x), qui jurisjurandi hujus omne fundamentum *in sola timoris generali allegatione* putat confistere. Secutus hunc est JUSTUS HENNINGIUS BOEMERUS, qui hanc eandem BONIFACII VIII & JURIS CANONICI mentem fuisse y) contendit; at meo quidem judicio ex ratione plane non extra omne dubium posita. Dicit enim hanç Glossatori-

x) Volum. nov. Rerum German. de Pace publica.

n) videantur Authores supra pag. 40 not. l citati, quorum sententiae multi alii subscribunt, præcipue etiam LUDOVICI Civiliturgiæ Civil-Proces, C. 12. §. 6.

x) l. c. Lib. I. C. 4.

y) in Jur. Eccl. Profeſt. ad tit. II. l. II. Decretal. de Foro competente §. 74. & 76.

bus Juris Civilis sedisse sententiam, in *juramento perhor-*  
*reſcentiae* causam suspicionis nequidem allegandam esse <sup>z)</sup>,  
 ita faltem sensisse ACCURSIUM; certum vero esse, abunde-  
 que probari posse, multa ex iſtorum Doctorum placitis  
 in textus Juris Canonici migrasse, adeoque vero nihil ef-  
 fe similius, quam BONIFACIUM VIII ex eadem scaturigi-  
 ne hoc juramentum haufiſſe, illudque ea, quam Glossa-  
 tores effinxerant, natura induiſſe. Verum enimvero af-  
 feritur quidem primo a Viro celeberr., sed non proba-  
 tur, *S. Pontificem ex Glossatorum quisquiliis hanc doctrinam*  
*derivaſſe*; deinde alia in promtu fūt argumenta, quæ  
 contrariū fraudere omnino videntur. Etenim idem S. P. in  
 Cap. 4. de Offic. & Potest. Jud. deleg. in 6. ostendit, se  
 in materia recusationis prædecessorum suorum sequi sen-  
 tentiam, secundum quam causæ suspicionis allegandæ &  
 probanda erant, ita nempe, ut hæc res arbitris commit-  
 tenda fuerit, coram quibus de causis suspicionis tractare-  
 tur. Hæc enim doctrina ab INNOCENTIO III. S. P. clare  
 proponitur in Cap. 10. X. de foro Compet. ubi hæc verba  
 leguntur: *Si vero Consules justitia tanquam MERITO sus-*  
*petti fuerint recusati, coram arbitris communiter electis DE*  
*CAUSA SUSPICIONIS agatur: quæ si probata fuerit esse iusta*  
*&c. ex quibus abunde perspicitur, causas suspicionis*  
*fruiſſe coram arbitris allegandas & probandas, cum fine*  
*earum allegatione & probatione seiri non potuerit, an*  
*merito suspicionis nota fuerint affecti, an iusta adfuerit*  
*suspicionis causa, nec ne?* Quia igitur BONIFACIUS VIII  
 in dicto Cap. 4. manifeſte anteriorum Pontificum vestigiis  
 inhæret, inde facili negotio eruit, quid demum novi

F 2

---

z) Glossæ verba fūt: *Superfluo ergo queritur, an suspicionis causa*  
*probanda sit, cum nec dicenda.*

in Cap. 11. de Rescriptis in 6. introduxit. Nimirum stant in hoc textu S. P. ut quidem suspicione caufæ allegentur, illæque satis sint probabiles, (prout hæc illius verba MERITO PERHORRESCENS perspicue docent,) sed ita tamen, ut in casu, ubi alia probandi remedia desunt, hæc ipsa probatio etiam PER PROPRIMUM JURAMENTUM procedere possit, isque, qui in tali rerum statu ad illud fæse offert, pro suspecto de perjurio non statim haberi queat.

Scio quidem, quid contra hanc Juris Canonici expositionem adversarii objicant. Recitant illi verba Sphi 10. ex 100 gravaminibus Nationis Germanicæ aa) : *Cum Romæ quisquam etiam Laicus interposito juramento afferit, se non sperare, iustitiam apud judicem competentem asequi posse, protinus ad tale juramentum admittitur, ac citatio ei contra partem adversum decernitur, sicque processus a judice ordinario ex Germania Romam, nec judice interpellato, nec parte adversa monita, protrahitur. Inde juramenti prætextu nec fori declinatio, nec ulla admittitur probatio, etiam si plane doceri posset, autorem illum pejerasse.* Verum hæc quidem de praxi tantum, non vero de genuina mente Juris Canonici testantur. Certum enim est, ipsos Summos Pontifices subinde omnem lapidem movisse, ut, qui irrepferant, abusus e medio tollerent. Hujus rei documentum præbuit LEO X. S. P. qui in Concilio Lateranensi bb) juramentum perhorrescentiæ suis quasi natalibus & pristinæ formæ restituere annis est, cum iisdem pene, quo BONIFACIUS VIII verbis usus cc) per jusju-

---

aa) in Comitiis Norimbergenibus A. 1522. propositorum.

bb) habito a. 1515.

cc) Cap. 3. L. VII. Decret. de Foro competente.

rāndum sub cautelis supra expositis p̄̄stūm recusari posse judicem decrevit. Ast nolle tamē ideo statim juramentum perhorrescentiā ad juramenti suppletorii genus cum LAUTERBACHIO, FELTMANNO, L. B. DE CRAMER (aliisque dd) detrudere, si eo, quo paſſim DD. solent, rigore ſemiplenam probationem exigas, ut suppletorio juramento locus fit. Verba enim dīcti Pontificis ob particulam ſeu non collective, fed disjunctive poſita ſunt, huncque, ſi curate inſpiçiantur, & non alium ſenſu habent, quod recuſare judicem volens probabiles ſuſpicionis cauſas afferre, eaque vel ſemiplene probare debeat, ubi juramento ſuppletorio locus fit; vel ſi cauſarum ſemiplenam probationem afferre remediis probandi ordinariis aut non poſſit, aut ob graves rationes nolit, eam juramento perhorrescentia plene probare poſſit. Si vero eo ſenſu juramentum perhorrescentiā accipias, ut allegatas fuſpicionis cauſas probabiles illo demum plene probari, ſicque inchoatam quaſi per p̄aſumptiones contra judicem probationem jure-jurando hoc ſuppleri & abſolvi ſtatuas, juramentum illud ſuppletorium mea pace dixeris; ſed tum tamē a com-muni DD. circa naturam juramenti ſuppletorii opinione mira reſeſſeris.

Atque ex his, ut arbitror, juramenti perhorrescentiā natura abunde patet. Neque quod carpi in illo, tanquam æquitati naturali contrarium queat, quidquam occurrat. Competit fane cuivis ex Jure Naturæ facultas, ſe tuaque modo, quo potest, optimo defendendi; plenam in iudiciis ſecuritatem omni timore liberam fana ratio litigantibus concedit: ea igitur omnia, quæ honeſte legitimeque huic faciunt, iis falva & integra eſſe oportet. Nunc, ſi libellus recuſationis & ad juramentum perhorrescentiā oblationis ea, qua par eſt, cautela & reveren-

F 3

dd) cf. DE CRAMER Weiglar. Nebenſt. Part. XV, Abhandl. 6.

tia conficitur, nulla fere judici macula aspergitur, falso nulla ei sit injuria; & si fundata est suspicio, sibi iudex hoc imputare debet, cum æquius multo sit, ut hoc in casu judicis honoris quid decedat, quam ut parti innocentis manifesta vis fiat. Accedit, quod in appellatione major, meo quidem iudicio, *judici a quo* macula aspergatur, quam in reculazione, siquidem in hac quis se metuere, in illa se accepisse injuriari dicat, cum gravatum se judicis sententia in instantia appellationis dicere, & *judici ad quem* probare debeat. Quodsi igitur appellatione nihilominus tanquam justa recepta est, cur recusat per juramentum perhorrefcentia instituenda, remedium obtinendæ justitiae illo pinguis iniquitatibus insimuletur, cum multo optabilius sit litigantibus, causam servare integrum, quam illa demum vulnerata medicinam in appellatione circumspicere, quod flebile multis beneficium est, & ob exhaustas jam in prima instantia opes inutile.

At vero modus forsan per juramentum perhorrefcentiae judicem recufandi non arridet? Videtur id potissimum CARRACHIO accidisse *ee*), juratum se hujus jurisjuratorum adversarium ideo profitenti, quod credat, ejusdem minus probari debeant, quippe quod ipsi valde iniquum videtur. Bene omnino haec fese haberent, si ita, ut sibi perfualit Vir celeb. comparata esset hujus instituti natura. Verum hoc ipsum est, quod nego. Causarum enim vere probabilium allegationem in juramento perhorrefcentiae necessariam esse, *supra ff*) a me demonstratum est, & earum plenam quidem probationem, cum perhorrefcentia res facti sit, desidero; sed illam *per proprium juramentum* debitum sub cautelis praestitum institui posse

---

*ee*) loc. *supra* pag. 41. *cito*

*ff*) pag. 43. & seq.

contendo. Et quid, quæso, in hoc iniuritatis? Jusjurandum vim probandi habet, ubi de fortunis hominum, ubi de fama, quæ pari cum vita passu ambulat, ubi de capite ipso disceptatur; sic quidem, ut perinde habeatur, quod juratum est, atque si probatum esset *gg)*; & cur juramentum, quod vocant, perhorrescentiae in materia recusationis in vicem probationis non admittamus, cum jusjurandum controversiarum finis *bb)* & efficacissimum expediendarum litium remedium *ii)* divino humanoque jure habeatur? Neque me movet, quod inventantur hinc inde tales religionis contemtores, qui, deposito omni divinae vindictæ metu, per juramentum perhorrescentiae (LAUTERBACHII in cit. *Diss.* verba sunt,) forum ordinarium declinare, reum procul a laribus suis abducere, & Constitutiones Imperii eludere contendant; siquidem rei cuiusdam usus legitimus abusu non tollitur.

Ita Juramento perhorrescentiae ab iniuritatis labo purgato aliquas adhuc circa illud notandas regulas velut in transitu subjungo. Nimirum hoc jusjurandum regulariter ante litis contestationem *kk)* & eo tantum in casu post illam locum habet, ubi suspicionis causæ post L. C. emergunt *ll)*, illud tam actori quam reo, licet MÆVIUS differentiat *mm)*, integrum est *nn)*; quin a Procuratore spe-

*gg)* L. 11. §. 3. *D. de jurejur.*

*bb)* Hebr. VI. v. 16.

*ii)* L. 1. *D. de jurejur.*

*kk)* L. 25. pr. & L. 30. *D. de judic.* L. 16. *C. de judic.* Nov. 53. & 82. Cf. LAUTERBACH. *cit. Diss.* COVARRUV. *Praef. Quæst.* Cap. 26. n. 2. BEYER ad *D. tit. de Judic.* posit. 88.

*ll)* Cap. IV. X. *de Except.* Cf. DE BERGER in *Oeconom. Jur.* & P. II. *Suppl. ad Elecl. discept. for.* pag. 314. DE WERNHER P. VII. obf. 84.

*mm)* P. VI. Decif. 71.

*nn)* arg. L. 41. & L. 125. *D. de R. J.* Consentit DE BERGER l. c. pag. 353.

ciali mandato instructo, invito licet adversario *oo*), deponi potest, nisi ubi speciali Provinciae aut Regni constitutione, uti de Saxonia constat *pp*), in alterius animam jurare prohibitum sit. Effectus denique hujus jurisjuriandi est, ut, ubi ad illud se offerens nulla plane calumniæ suspicione laborat, & ob allegatas suspicitionis causas fatis probabiles ad illud admissus fuit, causa a *judice contra quem* avocetur, & ad proxime superiorum *qq*) con-fueta formula *rr*) devolvatur.

## §. III.

*Quanam hodierna sit juramenti perhorrescentiae praxis?*

Videamus potissimum de GERMANIA, & quidem præcipue de praxi Supremorum Tribunalium Imperii, Cameræ nimirum Imperialis, atque Aulici Judicij. STEGERUS in singulare Dissertatione *de Juramenti perhorrescentiae usu practico in foris Saxoniae Electoralis ex errore Glostatorum* mente & absurdissima saepe Transalpinorum Doctorum interpretatione Juramentum perhorrescentiae in Cameram Imperialem circa annum 1560 irreplisse existimat. Videatur eruditio hujus Diff. Auctori Cameræ Imperialis hanc esse

*oo*) arg. L. 9. §. 6. & L. 34. §. 3. *D. de Jurej.* cf. DE WERNHER *Oly. for. P. X. obs. 295.*

*pp*) *Ord. Proc. Saxon. vet. Tit. 18. §. fin.*

*qq*) arg. L. 21. pr. *D. de Appell.* cf. *Ord. Camer. P. II. Tit. I. §. 1.* verbis. Es soll auch desselben Untergerichts nächste Obrigkeit und Herrschaft... & Tit. 26. §. Nachdem in dieser ic.

*rr*) Hanc exhibet SCHWENDEND *Proc. Fib. pag. 319.* his verbis: Dieweil beschlagter den zuerkannten Eid abgelegr, und daß er nicht glaube, noch sich versche, daß N. ihm wieder N. gleich dargehende Justiz administriren werde, geschwobren, so ist dieser nunmehr seine Klage allhier fortzusetzen schuldig.

esse praxin, quod ad solam & generalem timoris allegationem & factam timoris per jusjurandum probationem (quæ Glossatorum erronea est & supra a) a nobis refutata opinio) causas ab inferioribus judicibus avocet, & ad se trahat. Verum inquiramus nonnihil in hujus asserti fundamenta. Ad GAILI & MYSINGERI observationes camerales provocat Cl. Adversarius, & ex iisdem Cameræ praxin suæ opinioni congruam studet eruere. Verum GAILII verba hæc sunt: *non stari in Camera Imp. juramento partis, dicentis se non sperare consequi justitiam, sed instrumento publico opus esse ad docendum de facta debita requisitione & subsecuta denegatione justitia b)*. STEGERUS itaque frustra GAILIUM suæ sententiae testem adducit quippe alia omnia de praxi Cameræ docentes. Nec fortius in MYSINGERI testimonio suæ opinionis patrocinium invenit. Affirmat hic quidem c), *juramento probari posse, quod quis non speret se consecuturum justitiam;* neque id praxis Cameræ improbat; verum ad juramentum perhorrescentia se offerentem mox & sine causarum suspicionis probabilitum ulla allegatione ad illud admitti; nec MYSINGERUS, nec ex illo STEGERUS probat; quin potius contrarium in Camera obtinere alii Scriptores Camerales per præjudicia probant, atque THILEMANN DE BENIGNIS d) docet, in dubium aliquando vocatam fuisse MYSINGERI observationem & super ejus sententia in Camera disputatum; atque adeo certam praxin derivari exinde nullo modo posse. Quibus ita comparatis difficulter a me impetrare possum, ut STEGERI sententia, *hoc juramentum*

G

a) pag. 42. &amp; seq.

b) L. I. observ. 28. n. 3.

c) Cent. I. observ. 58.

d) Pentec. 4. obs. Cam. Imp. 50.

*ex Glossatorum mente in Camera magno suo malo receptum  
fuisse, statuentis temere subscribam. Arbitror potius usum  
hujus juramenti in Camera recepti illum esse, quem pau-  
lo ante ex genuina mente Juris Can. attuli. Causas nimurum  
allegari probabiles Camera ante exigit, quam ad illud jus-  
jurandum quemquam admittat. Audiamus hac de re Ro-  
SENTHALIUM e), qui in prælaudata Camera frequentius in-  
valuisse dicit, ut, si actores CAUSAS RATIONABILES allegent,  
cur judices inferiores sint suspecti & iurandum offerant,  
quod aquam iustitiae administrationem consequi diffidant, ut  
citatio recta decernatur. Cui & Joh. GROENINGIUS sub-  
scribit, dum ait: *Fx præxi novissima observatum, senten-  
tiam istam, quam BLUMIUS & alii fovent, in Camera plane  
non obtinere, vel rarius in practicam deduci: cum Status  
Imperii non ita facile, ut judices subalterni ob superiorita-  
tem territoriali, vi cuius tantum in suis territoriis possint,  
quantum Cæsar in Imperio, iurisdictione ordinaria privan-  
di f)* Prostant quoque apud Scriptores Camerale exempla,  
quaæ optima ad docendam præxi argumenta sunt.  
Unde fundatis ex causis dicendum est, Cameram ad ju-  
ramentum perhorrescentia neminem admittere, qui non  
de facta prius in ordinaria instantia requisitione pro ad-  
ministratione iustitiae docere, eamque studio sibi denegatam,  
aut causam in longum protractam probabilibus argumen-  
tis probare possit. Tertius est DECKHERUS scribens g):  
*Oblatio ad juramentum perhorrescentia non simpliciter iuri-  
dictionem Camere fundat, sed omnium primo requisito pro  
administracione iustitiae anteire debet* Rei hujus exemplum  
suppediat nobis causa Triebs contra Braunfels, ubi ad  
supplicam pro admissione ad juramentum perhorrescen-*

e) de Feud. C. 12. Concl. 4. n. 63.

f) Inst. nov. Pr. P. 41.

g) ad Tennag. Claff. 2, C. 14. n. 3. &c, L. 3, C. 14.

tia & decernenda impartiali commissione ex officio, hujus tenoris editum Decretum est b) : Noch zur Zeit abgeschlagen ; sondern mag Supplicantens Principal , ob er will, zuforderst nochmalen , daß vor allem die angefangene Revisio seiner Hütten-Rechnung zum Ende gebracht ; so dann deme vorgenannten auch dessen übrige Bau- und Prätensions-Rechnungen abgethan , und zu dem Ende eine unpartherische Commission nieder gesetzet werden mögte, bey best. Herrn Grafen ansuchen. Auf dem Fall aber da solche Commission inner 14 Tagen von Zeit erwehnten Gesuches nicht eröfnet , oder in deren Vollführung einiger Saumsal unterlaufen sollte , so wird im Gefolg voriger Decreten auf ferneres Anrufen alsdann ergehen , was Recht ist. Recentius adhuc exemplum est in Sachen der Schneiderischen Erbs-Interessenten in Kitzingen contra Franz Christian Roth und Georg Michael Hartmann , beider Henningerischen Tochter-Männern ; in qua cum actores a Dynastia Kitzingenfi præterito Regimine Wirceburgensi ad Cameram Imperialem causam devolvere studuissent , & ad juramentum perhorrescentiae sese obtulissent , repulsa edito Decreto i) tulerunt , eoquod generales tantum & non satis probabiles suspicionis causas contra Principis Collegium produxerunt. Hanc cameralis Judicij constantem & hodienum adhuc vigentem praxin testatur quoque testis omni exceptione major L. B. DE CRAMER k) , cui me multum in his debere gratius prædico. Docet enim illustris Auctor l) Cameræ Imperialis principium & regulam secundum ipsas Leges Imperii esse , jurisdictionem a subditis

G 2

b) die 8. Aug. 1725.

i) die 9. Nov. 1754.

k) in Weßlarischen Nebensünden P. II. Abhandlung IX. §. 8.

l) in Ejusd. Opusc. T. II. Op. 29. §. 62.

in exteris prorogari non posse obnitente regionis Domino<sup>r</sup>,  
ubi id in ipsius præjudicium fieri intelligitur; & nullum ju-  
dicem intermedium præteriri, adeoque appellationem per sal-  
tum fieri non posse m); cui tamen regulae exceptio addita  
est, nisi ob justas causas Intermedius esse judex aut jam non  
velit, aut non possit n). Ex quibus omnibus satis patet,  
ut perhorrescentia per jurandum locus sit, causas su-  
spicionis, & quidem probabiles allegandas esse.

Neque tamen probari has causas per remedia ordina-  
ria rigide postulat Camerale Judicium, sed statuit potius  
sub certis cautelis hanc probationem etiam per juraran-  
dum fieri posse. Probat hoc assertum eadem ipsa causa,  
quam modo adduxi. Actor enim Theobaldus Trieb,  
qui, ut ibi dictum, repulsam tulerat, eoquod non satis  
probabiles iustitiae denegandæ causas attulerat, postea do-  
cens, a dicta Cancellaria Braunfelsensi Commissarios su-  
spectos causæ ventilanda præfectos fuisse, ad juramen-  
tum perhorrescentia altero Decreto o) admissus, ejusque  
causa tandem Cameræ Imperialis Decreto p) ita decisa est,  
ut memorata Cancellaria ad solvendos Theobaldo Trieb,  
modo ejus heredibus 5484 florenos coram Commissione  
ad statum liquidi deductos cum quinque, ut ajunt, pro  
cento ab anno 1726 usque ad diem insinuati Decreti fue-  
rit condemnata, addita poena decem marcarum auri ex  
dimidia parte Imperiali Fisco, ex altera actori pendenda-  
rum in cau non fecutæ intra tres menses solutionis. Il-  
lud adhuc jungendum est, quippe quod ex præcedenti-

m) Ord. Cam. de A. 1495. Tit. 9.

n) Ord. Cam. de A. 1555. P. II, Tit. 29. §. 1.

o) die 10. Nov. A. 1725.

p) die 13. Febr. A. 1756.

bus fluit & recte ideo a nonnullis q) observatum fuit, nempe juramento perhorrescentiae locum non esse, si aut ex Actis, aut aliunde r) judicis in partem litigantium alterutram studium, aut denegatio protractione justitiae evidens sit, uti ex Decreto Cameræ Imperialis s) in Sg. Chen deren von Rotenhahn contra Würzburgischen Lehenshof liquet, vi cuius ulterioribus quidem compulsorialibus concisis, Domini tamen de Rotenhahn ad juramentum perhorrescentiae, ad quod se se obtulerant, admissi non sunt, quia illud hoc in casu superfluum esse videbatur.

In Judicio Cameræ Imperialis itaque hujus jurisjrandi usus certus est, illudque saepius sub cautelis hactenus explicatis admissum fuisse, Interpretes Processus Germanici abunde testantur t). Ast in Judicio Imperiali Aulico ejus usus paulo rarius est, cum ibi, si judex inferior ex causis idoneis suspectus redditur, alia huic malo parata sint remedia. Supplicanti enim tum per *Promotoriales*, tum per *Mandata de justitia administranda*, aut etiam per *citationem ad assumendum causam* absque perhorrescentiae juramento consuluntur. Saltem nec legi, nec audi vi, unquam mediante juramento perhorrescentiae causam aliquam ex Statuum Dicasteriis ad Judicium Aulicum devolutam esse; sed denegatum ibi fuisse dictum juramentum exempla docent u). An etiam contra ipsa Summa Imperii Tribunalia locum habeat hoc juramentum, ex

G 3

q) TENNAGEL de *decern. Proc. Clasf. III. C. 13.* in fin.

r) LAUTERBACH in *Coll. Pand. Tit. de Jurejur.* §. 42.

s) die 10. Martii A 17 6.


t) addatur Authoribus supra laudatis AUTHOR *Princip. Proc. Judic. Imp. Aul. hodierni.*

u) IDEM l. c. Cap. VI. §. 42.

illis judicandum est, quæ supra x) de eorundem recusatione fuerunt annotata.

In Gallia prorsus exultat hujus juramenti usus, siquidem in hoc regno collectionis BONIFACII VIII. auctoritas dubia est, adeoque ordinario modo proceditur, qui in recusatione judicis alias obtinet, & Ordinatione Regia supra laudata praescribitur.

x) pag. 17. & seqq.



## D E C A S POSITIONUM CONTROVERSARUM.

### I.

**T**omo proprius in hominis liberi testamento testis esse potest, non obstante Ordinatione MAXIMILIANI I. de Notar. tit. von Testamenten §. Die Form.

### II.

Metus intervertendarum rationum sola fuit apud Romanos ratio prohibiti inter *Tutorem & Pupillam* matrimoni. Aliæ rationes a DD. allegari solitæ cerebrinæ sunt; & in primis *ratio potentatus*, quam potissimum urgent, spuria est, nulloque modo ex L 63. D. de rit. nupt. probatur. Unde hodie hanc prohibitionem cessare arbitror in omnibus illis locis, ubi tutelæ & rationum reddendarum alia, quam olim apud Romanos, ratio est.

## III.

*Jus venandi ad Regalia pertinet*, unde quicunque subditorum illud exercere cupit, titulum acquisitionis ostendere debet. Gravis quidem hac de re nostris temporibus inter JCtos celeberrimos exorta fuit controversia, cum alii Principum, alii Nobilium partes defenderent, gravibus utrinque argumentis. Sed prævaluit in praxi allata sententia quam L. B. DE CRAMER, L. B. DE ICKSTATT, HOFFMANNUS & tantum non omnes rei œconomicæ Scriptores defendant, fuse recensiti in ESTORIS teutscher Rechts-Gelahrtheit P. I. §. 2507. & P. III. §. 2507.

## IV.

Fratribus Nobilibus forori ob inæquale contractum matrimonium minorem ex bonis parentum portionem, ac quam alias debuissent, assignare licitum non est.

## V.

Fieri potest, ut mera subscriptio contractus *subscribenti* *tertio* præjudicium pariat, licet ejusdem nulla facta fuerit in ipso contractu mentio.

## VI.

An juri *reлюendi pignoris* præscribi possit? anceps admodum inter DD. quæstio est. Ex jure communi in utramque partem gravia adduci possunt argumenta. Negativa sententia potior videtur & recepta est in summis Germaniæ Tribunalibus, Senatu Aulico, & Camera Imperii. BRUNNEMANNUS Conf. 130. exemplum producit actionis Pignoratiæ post 400. annos institutæ.

## VII.

*Literus investiturae* antiquiores in casu diffensus recen-

tioribus esse præferendas, communis DD. opinio est; ast  
puto, illam multis dubiis esse obnoxiam, & sæpe nume-  
ro recentiores antiquioribus præstare.

## VIII.

In processu summario non tumultuarie est procedendum,  
sed *substantialia* omnino observari debent. Nollem tamen  
exinde cum LUDOLFIO omnem differentiam inter proce-  
sum *ordinarium* & *summarium* e medio tollere, qua in re  
nequidem sibi ipsi constat Cel. Auctōr. Catalogum cau-  
farum *summarie* tractandarum *Leges* accurate non exhibe-  
nt; bene tamen ea in re laborarunt, nimis fedule, uti  
credo, DD. Vix enim est, ut omnes figillatim recenseri  
possint: quæcunque *causæ* favorabiles sunt, & *moram* non  
*patiuntur*, illæ sunt *summariae*.

## IX.

In Arresto impetrando summaria causæ cognitio obtinet;  
sed in eodem processu illa processus forma observanda  
est, quæ citra casum Arresti in foro ordinario observanda  
fuiisset, unde est, quod DD. dicant, *processum arrestatorum*  
*sapere ordinarium*. MEVIUS de Arrestis C. 17. n. 27. 28. 29.

## X.

Causa in uno Summorum J. R. G. Tribunalium in  
*possessorio* decisa ad alterum commode deferri potest in *pe-*  
*titorio*: exceptio enim præventionis fori declinatoria hoc  
in casu exulat.



Strasburg, Diss., 1760-75

ULB Halle  
004 359 240

3



f

sb.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres  
inches



DISSERTATIO JURIDICA

DE

J U D I C E  
SUSPECTO

QUAM

P R A E S I D E

DN. JOHANNE FRIDERICO  
E H R L E N

J. U. D. PAND. ET JUR. CAN. PROF. PUBL. ORD.  
ET CAP. THOM. CANON.

P U B L I C E T U E R I C O N A B I T U R

A U C T O R

F R A N C. G E O R G I U S D I T T E R I C H

B A M B E R G E N S I S

A A. LL. E T P H I L O S O P H. M A G I S T E R

A r g e n t o r a t i D I E V. M A R T I I M D C C L X X I .

H. L. Q. C.

Typis JOH. HENR. HEITZII Univ. Typ.